DE DIVINO OFFICIO

COMMENTARIUS HISTORICO-THEOLOGICUS

Ubi ex Sacris Litteris, Conciliorum Decretis, Patrum effatis, nec non variis tum Occidentalis, cùm Orientalis Ecclesiæ monumentis, Monachorum Regulis, Sanctorum Actis, &c. exhibentur Divini Officii exordia, progressus, leges, quibus Laici, Clerici, Monachi, atque Moniales ipsius recitationi addicebantur.

Ritus proferuntur diversi variarum Occidentis Ecclesiarum, & Orientis nationum; usus alii complures antiquitatis sacræ, quæque subinde in hoc jus irrepsere mutationes, recensentur; & varia Hæreticorum deliria passim configuntur.

His accedunt Regulæ Criticæ, quibus Breviarii autoritas constituitur; & Germana S.S. Acta a Spuriis secernuntur.

A U T O R E

D. FRANCISCO MACCHIETTA.



V E N E T I I S, CIↃIↃCCXXXIX.

APUD FRANCISCUM PITTERI.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Illustriſs.mo, atque Reverendiſs.mo

D. D.

DANIELI DELPHINO

PATRIARCHÆ AQUILEIENSI.

QUID in cauſſa fuerit, cur ſplendido tui nomine inſcriptus lucem videret Commentarius hic meus, Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Præſul, eumdemque tuo committerem patrocinio, vix eſt qui non intelligat. Cum enim a maioribus ad ætatem noſtram tranſmiſſa non ſine laude conſuetudo ſit libros ſub alicuius Magni viri auſpiciis vulgare, unde, quod non nemo aiebat, operi ſecuritas, atque ſplendor accedat: mox occurrit quam meritò te operis huiuſce mei auſpicem delegerim, atque Patronum. Generis enim vero nobilitas proavorum decoribus, longaque ſæculorum ſerie apud Venetos ſplendeſcens, ita Europam pervaſit omnem; nominis tui fama ex præclarè geſtis adeo Catholicum orbem implevit; dignitas virtute parta, meritis aucta ſic in ſui admirationem æquos rerum æſtimatores traxit; ut felicioribus inſtructum auſpiciis, clariori luce ornatum opus hoc meum prodire non poſſit. Excellentiſſimæ Delphinorum ſtirpis, cuius unum nomen inſtar omnis præconii ſemper fuit, & erit, conſpi-

cuum Germen es. Quantus ab ista in te fulgor, quanta, proh Dii immortales, in te gloria derivat! Non hic tantæ familiæ panegyricum texere in animo est; satis enim mihi perspectum merito minus fore, quidquid de hac vel eloquentissimi dixerint, & ex Sallustii monito in maximorum encomiis præstare nihil, quam parum dicere. Jam ipsius præstantiam apertè Veneta testatur Respublica, quæ uberem adeo præstantium virorum copiam suis commodis ex hac gente partam vidit, ut heroas tot numeret, quot nepotes: testantur historiarum monumenta, quæ Delphinos viros numquam produnt nisi summa molientes, summa operantes: testantur Veneti, atque Ecclesiastici insignia honoris, quæ inter gentilitia domus tuæ decora visuntur. Quis enim facile numeret Regia Veneti Imperii diademata, urbanos fasces, bellicos clavos, equestres titulos, Adriaticas, atque Romanas purpuras, sacras infulas, quibus a multarum ætatum intervallo decorata claritatis suæ radios per universum terrarum ambitum invexit?

Ab hoc itaque sanguine non degener nepos prodiisti, quippe qui & doctrina, & virtute ad avita maiorum decora enixus, eadem gloriosa proavorum vestigia legere, ne dicam excellere visus semper fuisti; unde non minus egregium te familiæ adiicere, quam ab eadem accipere ornamentum iure quisquis affirmet. Sane, tuæ licet inserviam laudi, tantum mihi non tribuo, ut non dicam exornare, sed ne enarrare quidem possim eximias animi tui dotes, atque ea inprimis, quæ pro Ecclesia, pro Religione amplissimè gessisti. Vel a primis adolescentiæ annis clarissimum exhibebas earum virtutum specimen, quæ insignes viros cum in sæculari, tum in sacro imperio optimè commendant. Demirabantur alii alta te mente præditum, singulari prudentia, suavissimis moribus ornatum; alii te politioris litteraturæ, sinceræque pietatis studiosissimum contemplabantur, alii gesta tua, summo Præsule digna, vel dum sub Ecclesiasticis signis nondum merebaris, iudicabant. Hæc autem præter alia multa, quæ modestiæ obsecuturus tuæ consultus prætereo, gradum tibi fecerunt ad illud honoris fastigium, quo in Ecclesiastica Hierarchia ingenti cum omnium plausu coruscas: hæc in illam tui existimationem sapientissimos viros traxerunt, ut Patriarchalis dignitatis pondus, atque longe, lateque patentis Ecclesiæ regimen non sine superno afflatu optime in te collocatum putarent; ad cuius incolumitatem, & iura sarta

tecta

tecta conservanda, ad cuius propagationem, atque splendorem promovendum, quantum in dies singulos laboris, & curæ impendas; non Romam sollicitudinem tuam in suscepti muneris partibus obeundis probantem, non Diœcesim tuam, inter continuas te admirantem curas, compellabo; Sed Marcum ipsum, atque Hermagoram sanctissimos tui in Aquileiensi Cathedra decessores, nec non D. Quirinum Philippi Cæsaris inter Etnicos Imperatores primi, qui Christo nomen dederit, filium, & primum amplissimæ tuæ Ecclesiæ Patriarchatus culmine insignitus, si vera nobis prodit Hundius apud Perbegg de variis antiq. Eccles. *quos e supernis sedibus mihi videor intueri exultantes, quòd Ecclesiæ, suis irrigatæ sudoribus ille præsit Antistes, cui nihil sit antiquius, quam fidei puritas, & amplitudo, quam Religionis commoda, & cultus, quam animarum salus, & Apostolicæ sedis honor. Et certe quicumque tuum pro fide atque Religione contemplatur zelum, simul in te agnoscit præclaras eas veterum Aquileiensium Antistitum dotes, quorum conspicuis gestis tantum Ecclesiæ universæ emolumenti, tantum sedi tuæ splendoris accessit, ut venerabili Joannis XIX. in Petri cathedra sedentis oraculo, illud sibi demeruerit audire constitutum:* Patriarchatum sanctæ Aquileiensis Ecclesiæ fore caput, & Metropolim supra omnes Italiæ Ecclesias ...... atque volumus Sanctam Aquileiensem in cunctis fidei rebus peculiarem, & vicariam, & secundam esse post almam Romanam sedem. *Quo in loco multo ante habita videtur ab Imperatore Honorio iis in litteris, quas, Romano Pontifice suadente, uti opinatur Baronius; vel Italiæ Episcopis compellentibus, quemadmodum alii censent, ad Arcadium fratrem in causa Chrysostomi dedit. Agnoscit enim ad fidei servandam immunitatem fervorem in te illum, quo in Synodis Aquileiensi, & Sardicensi exarsere Valeriani, & Fortunatiani adversus Arianos, quo in I. Arelatensi Concilio Theodori adversus Donatistas, in Romana Synodo Agathones adversus Monothelitas: agnoscit pro Ecclesiæ tuæ iuribus vindicandis sollicitudinem, qua Rothaldus, & Poppo commendantur, pro sincero sacrorum cultu retinendo diligentiam, qua Cromatius apud Hieronymum effulget. Sed quid ego vetustiora Aquileiensis Ecclesiæ monumenta revolvo, priscosque decessores tuos, quorum vestigiis inhærens gloriosus tibi quæsitus splendor, atque Cathedræ ornamentum, depromo? Nonne instar omnium*

erat

erat protulisse Joannis Delphini amplissimi S. R. E. Cardinalis, atque præstantissimi Aquileiæ Patriarchæ patrui tui notum super æthera nomen, cujus eximiam virtutem, maturam prudentiam, singularem eruditionem nunquam sine laude Aquileiensis Ecclesia memorabit, & ad cuius exemplar sic tu mores, & gesta efformas, ut, quod ille, nil nisi sublime, ac gloriosum noveris moliri.

Hæc porro mihi contemplanti stimulum subiecere, ut lucubrationes has, qualescumque meas, ad te deferrem: ratus enim sum viro Ecclesiasticæ antiquitatis studiosissimo, sacri cultus reparatori solertissimo fore ut non displiceat opus, quod illustrat primi Religionis nostræ post divinam Liturgiam instituti præconia, antiquitatem, frequentiam, ritus, & alia huiusmodi, quæ ad omnes pene ætates, atque gentes spectant. Excipe igitur sereno vultu Commentarium hunc, quem summa animi observantia tibi sisto; neque tam scribentis tenuitatem respice, quam ipsam scriptionis materiem, atque offerentis obsequium; illam Dominatione tua Reverendiss. plane dignam censeo; hoc illud profectò, quo nullum fortassis majus, ac sincerius inveneris: atque in hoc uti glorior, ita precor, ut ad fidei, atque Ecclesiæ ornamentum diuturnam tibi vitam, summamque felicitatem superi largiantur.

Dabam Venetiis ad decimum septimum Calendas Junii Anno a parta salute trigesimo nono supra Millesimum, & septingentesimum.

Umillimus, atque Obsequentissimus servus
Franciscus Macchietta.

PRÆFATIO.

ALter ſupra decimum volvebatur annus, cum ad umbilicum perductus mihi libellus iſte, inter domeſticum pulverem deliteſcebat, utpote quem privatis ſtudiis, non publicæ luci animus deſtinarat. Et ſi enim, ubi primum è ſpinoſis, aut jeiunis ſcolarum Quæſtionibus animum ad altiora ſtudia licuit transferre, Eccleſiaſticæ antiquitatis, & Diſciplinæ cognitione, Critices artis documentis, & quocumque ſacræ eruditionis genere, unde ætas noſtra ſupra reliquas eluceſcit, fuerim mirificè delectatus: probè tamen noveram, quam parum his ornamentis eſſem inſtructus; mihique optandum adhuc planè, quod in aliis ſuſpicere non deſino. Quamobrem nefas mihi in Republica litteraria gradum ullum vindicare intelligebam, quò contendere viris tantùm numeris omnibus abſolutis datur. Quorſum (hæc animo mecum verſabar) Quorſum tu inter eruditorum agmen elucubrationibus hiſce aliquod te publico afferre præſumis emolumentum, cum publicæ commoditati viri ſapientiſſimi

con-

continuò insudent? Quorsum justam Censuram declinare confidis, ea ætate scriptis laborando, qua vix optima probantur, qua minus perfecta ad Cimmeriorum transtra condemnantur, æternaque oblivione sepelienda justi rerum Æstimatores palam edicunt. An nescis *Commentarium* hunc tuum ad eas leges te voluisse exactum, iisque Ecclesiasticæ eruditionis luminibus confertum, queis vix prima litterarii orbis capita operam cum laude conjunctam impendunt? Rem ad Sanctorum Patrum, atque Conciliorum effata, ad Historiæ, atque Disciplinæ Ecclesiasticæ documenta, ad plurimarum Occidentis, atque Orientis gentium mores, ad Monachorum Consuetudines, ad Critices artis adjumenta exequi aggressus, nonne illa audes, in quibus omnigenæ doctrinæ, atque famigeratæ eruditionis perfecti viri non sine timore versantur? At verò seria hæc mente volventi, occurrit doctis, indoctisque passim laborare Scriptores, & litterarium campum ad eruditionis, doctrinæque flores excerpendos non ab iis tantùm adiri, quorum est minus concinnos censoria virga secando, notare: verum, & ab aliis, quorum est, non inutiles colligendo, proficere. Hinc & ab omni censura immunem me futurum publico juri laborem hunc meum commendando arbitrabar; veniæque daturos eruditos confidebam, si quid apud nos aut scribendo, aut scripta vulgando peccatum; ubi noverint non Cenodoxia, sed juvandi prurigine peccatum: ideoque longè distare nos a reprehensione, qua Pelusiota Isidorus ad Theo-

Teognaſtum Diaconum l. 4. Epiſt. 67. ſcribens, jure litteratos quosdam notavit: *Ipſorum quidem Philautiam, atque ambitionem jure accuſemus, qui gloriæ propriæ ſtudio ducti, aliorum minimam habuerunt rationem*. Et profectò meum in hoc ſcriptionis argumento conſilium improbabit nemo, niſi quem fugiat rem, quam in præſenti verſamur, ad eos omnes ſpectare, qui Eccleſiaſticæ militiæ vexillis nomina ſcripſerint, quos inter non unus cenſetur in his ſtudiis peregrinus, & hoſpes. Quanquam neque defœcatioris doctrinæ viris ingratum omnino opus hoc noſtrum fore confidimus: ſingulare enim argumentum, quod pertractamus; methodum, quam nobis conſtituimus; Eccleſiaſticæ antiquitatis capita, quæ illuſtramus, & alia hujuſmodi, eorum palato non indigna prorſus arbitramur. Sed nec his quidem ſpatiis arctatus eruditi Lectoris animus detinebitur; habebit ubi ulterius exſpatietur. Plura ſiquidem, quæ inter Catholicos, & omnium ætatum Hæreticos in re noſtra controverſa occurrunt, delibata ſaltem, & diluta inveniet: Qui remotiſſimis a nobis Orientalium plagarum gentibus familiares ſunt rituum, errorum, linguæ, &c. uſus, ab eorum initiis ad noſtra tempora indicatos non deſiderabit. Quod ..... Sed ut præcipuum tandem ſcopum, ad quem toto hoc in opere collimavimus, aliaſque rationes, quæ ad idem ſcribendum, atque, extrema ipſi modò adjecta manu, vulgandum impulerunt, clariùs proponam; hæc tibi B. L. habeto.

Inter onera, quibus addicit Ecclesia homines regali sui jugo mancipatos, præcipuum esse divini Officiii explendum in singulos dies cursum norunt omnes; at vero, quæ fuerit in Ecclesia vulgati hujus præcepti origo, quam fuerit illud priscis solemne, qua religione frequentatum, omnibus haud juxta perspectum esse probe noveram; ut plurimum enim de hoc præcepto moralis doctrinæ Scriptores manibus teruntur, apud quos vix reperire est, qui fonti digitum intendant. Hoc in opere illud itaque mihi cum maximè proposui legem de Horarum Canonicarum usu ab ipsius exordiis, quæ ipsam tandem cum Ecclesia jactant antiquitatem, rimari, & ob oculos ponere religiosum istud orandi exercitium non sacris dumtaxat, verum & inferioribus Clericis, Monacis, & Monialibus, Laicisque ipsis fuisse ab Ecclesiæ cunabulis indeclinabili lege obeundum, quod a III. ad VII. caput ex Scripturarum fontibus, Patrum, & Conciliorum assertis, aliisque sinceris antiquitatis monumentis evinco; postquam in primo capite, quantus primorum fidelium ad orationis exercitia fuerit fervor, ex pluribus antiquæ Disciplinæ capitibus fecerim exploratum; & in altero varia exhibuerim nomina, quibus religiosum hoc orandi institutum fuerit a majoribus nostris donatum.

His expositis, Horatiano auditurus documento, omne tulisse punctum, *qui miscuit utile dulci*, a VII. ad XII. caput publicas solemnitates, queis oratio nostra cum priscis, tum nostris temporibus apud varias

rias Occidentis, atque Orientis gentes, apud diversas Religiosorum Congregationes persolvebatur, in examen deducens, diversorum in Ecclesia rituum originem, caussas, & praxim exhibeo, Cantus antiquitatem, & usum; linguarum discrimen, & harum in sacris exordia depromo; longitudinem, qua prisci, divino huic instituto immorabantur, propono. Quæ quidem omnia pergrata fore Lectoribus nequidquam diffido; cum rara partim occurrant, quæ ad omnes penè Christiani orbis Provincias spectant, circa fidei primordia, & primos apud eas Evangelii Præcones; circa rituum diversitates, & eorum mutationes; circa usitatam in sacris linguam, & novi usus originem; circa errores in fide, atque resipiscentiam; ubi oratio nostra potissimum versatur circa remotas Orientis regiones, quarum fidei, ritus, &c. notitia hominibus doctis non nisi oblectamento esse potest.

Ex his ad privatam ad recitationem calamum traduco provinciam mihi demandans in XIII. XIV. & XV. capitibus investigandi privatæ recitationis legem, qua majores Clerici, & Beneficiis Ecclesiasticis potientes, qua Religionem ex utroque sexu professi per hanc ætatem afficiuntur; quæstiones aliquas absolvendi, quæ ad conscientiam hac de re spectant: quibus Officii mei pensum ratus sum adiicere priscam Ecclesiæ disciplinam circa Clericos omnes, & Monachos officio privatim indulgendi, cum justa necessitas a chori præsentia excusabat, & tandem

innuere tempora, cum tam pro Clericis minoribus, quam pro Laicis lex de publica, æque ac de privata recitatione abolevit, ne quam Lectoribus subtraherem antiquitatis circa hoc præceptum cognitionem, sed abunde ipsorum votis facerem satis.

Denique capitum XVI. & XVII. materies est ipsum Officiorum liber, hoc est Breviarium. Hinc libri hujus vox, primordia, & usus; ejus autoritas vel de Scripturæ, atque Patrum effatis, vel de Sanctorum gestis res sit, rigoroso examini subjiciuntur: hìc profertur insuper, quibus corruptionum vicibus fuerint ab Impostorum audacia omni ætate obnoxii Ecclesiastici Codices, & Criticæ regulæ assignantur, queis ad germana Sanctorum Acta a spuriis secernenda aliquo modo manuducantur tyrones.

Hæc totius operis dispositio, illud, repeto, consilium, ut labore hoc, qualicumque meo, publicæ subvenirem minus eruditorum commoditati, utque intellectum doctrinis, atque eruditione excolerem, non minus ac voluntatem piis affectibus inflammarem: in eam enim adducor persuasionem fieri vix posse, ut eximio fervore in pium hoc orationis institutum non feratur quicumque huic penso addictus, ubi fuerit illi exploratum, quo studio ad illud coirent ab Ecclesiæ incunabulis non modò Ecclesiæ servitio, aut religionis jugo mancipati homines; verum etiam fideles ipsi a sæculi curis non avulsi; quo zelo ad ipsius frequentiam calcar adderent Sancti Ecclesiæ Patres; quibus objurga-

ga-

gationibus obnoxii forent ejusdem exercitium vel semel negligentes. Hoc si, fortunante Deo, consecutum me intellexero, bene collocatam judicabo industriam meam, animisque erigar ad novas in dies elucubrationes publico exhibendas. Cæterum si quid hoc in opere bonæ frugis erit, id totum illi acceptum refero, qui bonorum omnium fons est, & largitor, non mihi, quemadmodum arroganti, blasphemaque sententia olim Cicero de Nat. Deor. l. 3. a Divis omnia præter scientiam agnoscebat: *Nimirum recte: propter virtutem jure laudamus, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret, nisi id donum A NOBIS, ET NON A DEO HABEREMUS.* Aquilini Doctoris animo semper obversatur documentum l. 2. *de Pec. Mer. & Remiss. c.* 19. diserte tradentis: *Deum certam scientiam tribuere, ut cognoscant* (eruditi) *non a se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminantur tenebræ eorum.* Si vero contra quid erit, in quo offenderim, quodque reprehensionem mereatur; inscitiæ meæ illud totum adjudicetur, ad Palinodiam etiam paratissimæ, ubi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ omnium Ecclesiarum Matri, ac Magistræ, atque Sedis Apostolicæ judicio, cui lubens omnia submitto, aliquid fuerit exaratum, quod a sana fidei, morumque doctrina abhorreat: nulla enim in re gloriari aliquid magis lubet, quam in Christiani nomine, inque Catholici cognomento, cujus est Apostolicæ Sedis haud reluctari potestati, ne Dei obnitatur ordinationi: *Ple-*

nitudo siquidem potestatis, verba sunt melliflui Doctoris, & Clarevallensis Abbatis Bernardi Ep. 131. ad Mediolanenses, *super universas orbis Ecclesias singulari prærogativa Apostolicæ Sedi donata est. Qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*

IN-

INDEX CAPITUM

Quæ in hoc opere continentur.

CAPUT PRIMUM.

CAPUT II.

CAPUT III.

CA-

CAPUT IV.

CAPUT V.

CAPUT VI.

CAPUT VII.

CA-

CAPUT VIII.

CAPUT IX.

CAPUT X.

CAPUT XVII.

DE

DE DIVINO OFFICIO

COMMENTARIUS

HISTORICO-THEOLOGICUS.

CAPUT PRIMUM.

Publicæ, ac privatæ orationis discrimen. Multiplex, quod priscis, viget temporibus quoque nostris publicæ orationis genus. Quid sit Canonicum Officium. Quæ apud antiquos fideles orandi frequentia fuerit solemnis ex Stationibus, Agapis, aliisque antiquæ disciplinæ consuetudinibus demonstratur. Necessitas orationis contra Novatores, & Pelagianos vindicatur; simulque Messalianorum de continua oratione dogma evertitur.

DE oratione hoc in opere locuturis nulla erit nobis disceptatio de oratione illa, quam privatam nuncupamus; & habetur, cum quis nomine proprio voce, vel mente ad Dominum clamans aut sibi, aut aliis vere utilia deprecatur. Aliorum sit de hoc orandi genere disputationes instituere. Nos ejus necessitatem supponentes humano generi naturali, ac divino præcepto inditam, quemadmodum communis Patrum, atque Theologorum è schola consensus clamat, de publica tantum oratione agemus, quæ funditur ab Ecclesiæ Mini-

ſtris nomine totius fidelium cœtus; & præter mentis etiam linguæ exercitium depoſcit; ut innoteſcat populo, quid Eccleſia pro ipſo, & cum ipſo imploret juxta Angelici Præceptoris documentum 2. 2. qu. 83. art. 12. *Oratio communis eſt, quæ per Miniſtros Eccleſiæ in perſona totius fidelis populi Deo offertur : & ideo opus eſt quod talis oratio innoteſcat toti populo, pro quo profertur ; quod non poſſet fieri, niſi eſſet vocalis.* Quin vocis uſum ad publicam orationem ita neceſſarium agnoſcunt D. D. ut ad ſimpliciter neceſſariam ejus conditionem rejiciant : *Conditiones communis orationis* hæc Cajetanus in laudatæ Angelici Queſtionis Commentariis, *ſunt duæ : quod ſit vocalis ; & quod ſit alta. Prima eſt ſimpliciter neceſſaria, ut declaratum eſt.*

Multiplex autem genus eſt illarum orationum, quæ publico fidelium nomine a ſacris Miniſtris proficiſcuntur. Ejuſmodi ſunt preces in auguſti Sacrificii oblatione a Sacerdotibus recitari ſolitæ, Litaniæ, Officium Deiparæ, idem Defunctorum, multæ in Sacramentorum adminiſtratione præter formam uſurpatæ ; & tandem Horæ Canonicæ, ut alias minores omittam ab Eccleſia inſtitutas, publiciſque inſertas libris eò, ut pro temporum, locorum, atque hominum opportunitate Deo fundantur. Ex his, quas expreſſo nomine recenſuimus parem ferme omnes cum Eccleſia obtinent antiquitatem. Nam ſi Chryſoſtomum Homil. 27. in 1. ad Cor. audiamus ; Apoſtoli incruentam hoſtiam offerentes præter conſecrationem, atque ſumptionem preces addere conſueverunt : *Cum*, ait, *ſacras illas cœnas offerebant Apoſtoli ; quid tum faciebant ? Nonne in preces convertebantur, & hymnos ?* Idem affirmat Proclus in libello, aut ſi mavis cum Vincentio Ricardo in Procli Analectis Romæ vulgatis, in fragmento, quodam ex Procli operibus excerpto : ſiquidem opus illud Proclo adjudicare neque Leo Allatius *De lib. Eccleſ. Græc.* d. 1. audet : *ſi tamen Procli tractatus ille eſt.* In memorato inquam, libello *De traditione divinæ Liturgiæ* cujuſcumque ſit ſane auctoris per quam vetuſti, hæc leguntur : *Salvatore noſtro in Cælis aſſumpto, Apoſtoli antequam : per omnem terrarum orbem diſpergerentur, conſpirantibus animis, convenientes fuſiſſime, longoque verborum ambitu miſſam decantabant* ; & paulo poſt : *Contri-*

to

to spiritu impense divinum implorantes nomen, multas preces decantabant. Consonant Recentiores, quibus adversus M. Gregorium placet non sola oratione Dominica incruentum obtulisse sacrificium Apostolos antiquorum Patrum, & Apostolicarum Constitutionum auctoritate innixis: idque a vero non abhorret; etiam si verum audiat, quod Neotericus quidam nullam ante sæculum V. extitisse scriptis commendatam Liturgiam contendit. Neque discors est Joannes Lamius in *Notis ad Chronicon Pontificum Leonis Urbevetani*, ubi pluribus precibus a Petro divinam ostiam affirmat immolatam, ab illarum precum numero tamen ablegans orationem Dominicam; ideo quia unde M. Gregorius acceperit hanc ab Apostolis in sacro recitatam ignorare se profitetur, non ignoraturus si Cyrillum, Chrysostomum, Augustinum consuluisset, & Hieronimum, qui l. 1. contra Peleg. id a divinis documentis acceptum refert.

Eruditissimus Annalium parens ad annum Christi 58. Litaniarum usum, sive Processionum ipso Tertuliani ævo usitatum fuisse scribit his verbis: *Illud quoque ad ritum precandi spectat, procedentes aliquando consuevisse fideles publico conventu fundere ad Deum preces. De procedendo meminit Tertul. ad Uxor. l. 2. c. 4. Si procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adveniat*. Meminit & alius primorum sæculorum haud ignobilis scriptor Ep. 17. l. 5. Sidonius: *Processio fuerat antelucana, solemitas anniversaria, populus ingens sexu ex utroque, quem capacissima Basilica non caperet*. Quod vero priscis Litaniæ idem fuerint ac Processiones docet laudatus Baronius, cum l. c. inditi nominis causam profert. *Easdem processiones a Patribus dictas esse Litanias, quod expiationis causa indici publice consueverint multa exempla declarant*. Idem a M. Gregorio in mandato de septiformi Litania ad Romanum populum eruitur, quam sui Pontificatus initio S. Pontifex ideo jussit, ut grassantem pestem Roma averteret. *Litania Clericorum*, inquit serm. ad popul. in Ecclesia S. Sabinæ, *exeat ab Ecclesia B. Joannis Baptistæ. Litania virorum ab Ecclesia S. Martini, Marcelli &c.* Non me fugit Litaniarum nomen aliquando pro sola sanctorum invocatione, aliquando pro sola divini numinis implorata clementia usurpari: sic apud Jacobi, Basilii, Chry-

fostomi Liturgiam; apud Benedictum in Regul. c. 9. & 12. *Kirie* hac Litaniæ voce designatur: sic in priscis Ritualibus Litania septena, quina, & terna idem *Kirie* denominatur: eò, quod septies, quinquies, & ter ejusdem vocis repetendus esset cantus: *Sabbato sancto Paschæ agitur primum Litania septena propter septiformem Spiritus S. gratiam*. Rituale Ecclesiæ Trecensis ante anno 890. exaratum. *Litania terna ad introitum*. Rituale Pictaviense sæculis prope IX. vetustius; quod idem legere est in antiquissimis Ecclesiarum Laudunensis, Turonensis, Silvanectensis &c. Ordinariis. Verum uti dicebamus Litaniæ vox ex vetustissimo, & ab Apostolica traditione proficiscente usu Processionem significat, seu orationes illas, quas, procedendo fideles Deo fundebant. Unde Walafridus strabo *de Rebus Ecclesiasticis* c. 28. Litaniarum nomen adeo late ait patere, ut censeat *Litanias non tantum dici illam recitationem nominum, qua sancti vocantur in adjutorium humanæ infirmitatis; sed etiam cunctas, quæ fiunt supplicationes, & orationes appellari*.

Quod est ad officium Deiparæ scribit apud Fagnanum in cap. *Presbiter de Celeb. Mis. n.* 34. Abbas esse *ex antiquorum Patrum radice, & traditione Ecclesiæ*: & profecto maximum tantæ antiquitatis præsidium sunt incerta ipsius initia, & vetustissimus usus; neque enim Greg. II. uti Bellovacensi videtur; neque B. Joannes Damascenus, ut volunt alii, hujus officii fuerunt institutores: multo minus Petrus Damiani, etsi ad initium tom. 4. ejusdem operum illud occurrat vulgatum: constat siquidem ex veteri M. S. Bibliothecæ Anicianæ non II. sed III. Gregorium eum fuisse, de quo loquitur Bellovacensis; huncque extitisse auctorem non officii, sed præcepti congregationi Cassinensium Monachorum impositi *ut omni tempore una cum officio divino recitarent etiam officium B. Virginis*: & si qua fides Petro Diacono in Comment. ad c. 64. Regul. D. Benedicti, III. item Gregorio hujus recitationis indicta Cassinensibus lex debetur, atque Zachariæ, qui proximus dicto Gregorio in Petri cathedram successit: *Sub districto præcepto Cassinensi Congregationi Zacharias Papa observare præcepit, constituens ut omni tempore tam æstatis, quam hyemis, ante nocturnale, vel Diurnale .... adjuncto sanctæ Dei Genitricis, & B. Virginis officio*. Et infra: *Hoc a Zacharia, & ejus antecessore Gregorio*

rio constitutum est. Beatum porro Damascenum, qui circa Gregorii laudati tempora floruit Officia Deiparæ ad meliorem ordinem tantummodo redegisse prodit ejusdem vita, quam per Flaminium, atque Fortunatum conscriptam initio ejus operum solet præponi: nec aliud quam meliorem hanc dispositionem complectuntur M.S.S. Damasceni De B. Virginis Officiis ritu Græco Codices, quos in Monasterio Cryptæ Ferratæ in agro Tusculano extare testatur Card. Bona l. *de Divina Psalmodia*. Fateor VIII. sæculo in Ecclesia Dei latius pium morem obtinuisse ut per hujus Officii recitationem laudes sanctissimæ Virgini canerent fideles, & sæculo tandem X. maxime propagatum, uti constat ex iis, quæ V.Cl. Mabillonius in Præf. ad sæc. V. Benedict. §. 5. n. 117. depromit.

Auctor est Abraham Eckiellensis persuasissimum esse Melchitis, Coptis, Maronitis, aliisque per Orientem dispersis Christianorum gentibus Apostolicæ traditionis esse, cui non raro vacant Defunctorum Officium. Quocumque ex fonte hauserint Orientales populi hanc persuasionem, ea nobis explorata sit testimonio Augustini in Enc. ubi diserte fidem facit ab Origene auctum, & in ordinem redactum fuisse hujusmodi officium. Porro certum est Origenem sæculo III. ineunte claruisse, & ante sua tempora familiarem Christianis fuisse hanc orandi pro mortuis rationem; aliter non auctam, sed de novo in Ecclesiam per Origenem introductam dixisset Augustinus. Cum itaque III. Sæculo fuerit antiquor Officii Defunctorum usus, neque verus auctor ante hunc ævum proferatur; jam cogimur fateri ab Apostolica institutione ad nos usque derivasse, uti fatetur etiam perantiquus auctor Eccl. Hierarch. c. 7. Nec abludit Margunius etiam si homo schismatico furfure pollutus; nam gesta, & scripta Damasceni exarans fatetur receptas ab Ecclesia Defunctorum preces Patrum esse traditionem. Ortodoxus vero scriptor Guillielmus Durandus l. 7. Rat. Div. Off. de hoc Defunctorum officio disserens hæc habet: *Fuit primum ab Apostolis institutum, deinde ab Origene maxima ex parte auctum, & ordinatum*. Hinc colliges non Ambrosium, ut Isidorus de Isolanis; non Amalarium, ut Arnoldus; non Augustinum, ut Jacobus de Valentia sunt opinati esse pro hujus officii auctoribus habendos.

Pa-

Parem cum Ecclesia sibi antiquitatem vindicare orationes multas, quas in sacramentis dispensandis voluerunt institutioni divinæ adjectas majores nostri, ambigit nemo, qui se veræ Ecclesiæ vexillis glorietur adscriptum. Non vacat in examen adversus Novatores revocare & potestatem Apostolis a Christo eas adjiciendi relictam, quam Paulus ad Cor. scribens innuit; & commoda fidelibus ex earum institutione derivantia, quas *crassa, & rudi nostra natura postulari* Beza ipse agnoscit. Illarum firmandæ antiquitati præsto est nobis veterum Patrum consensus, hicque vel eorum, qui Apostolos habuerunt institutores: & ne paginas, producendo in re nota Patrum effata, conteram: testes rei nostræ occurrunt Ignatius, Justinus, Tertullianus, Basilius, Cyrillus Hierosolimitanus, Cyprianus, Origenes, Ambrosius, Augustinus, & alii antiquissimi adeo ut de schola Theologi hujusmodi orationum usum ad illarum Traditionum classem referant, quas ab Apostolis de moribus, & ritibus externis Ecclesia recepit; uti jam vel sæculo suo referebat hac de re loquens Tertullianus l. de Cor. Mil. n. 3. & 4. *Harum, & aliarum ejusmodi Disciplinarum, si legem expostules Scripturarum, nullam invenies: traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, fidesque observatrix*. Neque obscura assertæ traditionis vestigia in antiquissimis Ritualibus Ecclesiæ Occidentalis perinde ac Orientalis deprehendere licebit: ad unum enim omnia non sine certo cœremoniarum, atque orationum apparatu sacra mysteria dispensari jubent. Animadvertendum tamen in his orationibus, quæ apud priscos rituum Codices prostant, non de iis quæ institutionis divinæ sunt, nobis esse sermonem; sed de illis, quæ ad institutum mere Ecclesiasticum spectant. Prisco siquidem Ecclesiæ more, qui apud Orientalium Christianorum plures etiamnum viget, fuit comparatum, ut etiam ad certam Sacramentorum rationem præscripta divinitus verba, quæ nobis a Sæculo XIII. sub voce formæ antiquis Patribus, & Conciliis plane incomperta indigitantur, deprecatoria in nonnullis Sacramentis essent, scilicet per orationem exarata, idque cum primum in Confirmatione, Pœnitentia, & Unctione extrema, uti antiquitatis eruditi fatentur; & nos alio in opere typis prope diem commendando, ubi de sacramentis agitur,

ex

ex antiquis utriusque Ecclesiæ monumentis fecimus exploratum.

Horis Canonicis æquam tribuunt vetustatem Scriptores; nosque fusius eamdem adstruemus Cap III. ubi hujus orationis investigabimus initia, de qua una, omissis reliquis publicarum precum generibus, heic agere nostri erit instituti. Cum vero naturas rerum ante ipsarum circumstantias exponere, & sapientium monitum sit; & rei circa quam versatur oratio, plurimum conducat: ideo statuendum in primis, quid sint Horæ Canonicæ. Variæ illarum cum apud Theologos, tum apud juris canonici peritos circumferuntur definitiones, quæ verbis tamen, non re differant; cum nullum magni momenti hac de re vertat inter authores dissidium. Quamobrem abunde factum iri satis puto, si ex multis unam in medium proferam, quam habe ex doctissimo Bellarmino *l.* 1. *De bonis operibus c.* 10. depromptam. *Divinum*, inquit, *Officium est certa ratio laudandi, precandique Deum mente simul ac voce, authoritate Præsulum Ecclesiæ, instituta.*

His præmissis: antequam ad singula capita, per quæ res proposita magis illustrabitur, descendam; non abs re omnino censeo nonnulla congerere; unde apertum fiat primum Ecclesiæ studium in publicis orationum conventibus; & pateat nihil illi fuisse antiquius quam ut suos ad hoc Religionis opus excitaret. Ante illapsum Divini Spiritus in congregatos Apostolos scribit Lucas Act. 1. Omnes fuisse *perseverantes unanimiter in oratione, & obsecratione*; & c. 2. affirmat Discipulos quoscumque accepto Spiritu S. *perstitisse in communicatione fractionis panis, & oratione*. Eorumdem conventuum occurrit mentio apud Apostolum Epist 1. ad Cor. c. 1. v. 11. & 14. ad Colos. c. 3. v. 14. apud Jacobum c. 5. v. 13. & alibi. Accedunt veterum Patrum testimonia. Tertullianus in Apologetico, quod juxta Pamelium ab omnibus inscribitur *de Christianorum disciplina* hæc habet c. 30. *Coimus ad Deum, coimus ad litterarum divinarum commemorationem, summumque futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii relegetur*. Justinus Mar-

tyr

tyr circa finem Apologiæ II. ſive ex aliorum ſententia, uti dicemus, I. *Preces*, ait, *& oblationes fundimus ut digni, idoneique ſimus, qui veritate agnita per opera etiam ipſa boni atque officioſi rerum adminiſtratores, & datorum nobis mandatorum cuſtodes inveniamur*. Quod vero S. P. ſermonem hìc habeat de publica oratione, patet ex iis, quæ ſubdit: *Finitis vero precibus, mutuis nos invicem oſculis ſalutamus*. Ad Magneſianos porro Epiſt. 6. hæc ſcribit: *Omnes ad orandum in idem loci convenite; ſit una communis precatio, una mens, una ſpes in charitate, & fide inculpata in Chriſtum Jeſum*. Cyprianus de Orat. Domin. *Quando in unum convenimus, non paſſim ventillare debemus preces noſtras vocibus inconditis*. Baſil. ad Cl. Neocæſar. *De nocte ſiquidem populus conſurgens antelucano tempore domum precationis petit, inibique labore, & tribulatione, ac lacrimis indeficientibus facta ad Deum confeſſione tandem ad Orationes ſurgunt*. Sic alii Patres, ex quibus Joannes Fronto Epiſt. *de Parochiarum origine* notat. *Tanti factam eſſe a veteribus, & primis Chriſtianorum Patribus orationem, ut ad eam omnia fere Chriſtianæ profeſſionis munia referrent*.

Huc ſpectant communi fidelium uſu tribus primis Eccleſiæ ſæculis frequentata officia Stationum. Conſiſtebant hæc in publica congregatione ſtatis diebus habita, queis ad Martyrum ſepulcra convenientes orationibus, hortamentis, ſacrarumque lectionum interpretationibus jejuni vacabant fideles a Solis ortu uſque ad horam Nonam. De his loquitur Tertul. cap. ult. uberioris opuſculi *de oratione*, quod nuperrime publici juris fecit optime de Republica litteraria meritus Ludovicus Muratorius Anecd. tom. 3. p. 9. cum ait *Die ſtationis, nocte vigiliæ meminerimus*. Has vero Stationes quibuſvis Sanctorum Feſtis diebus celebratas, & geminas quoque, ubi plurium Sanctorum una die recolebatur memoria, vel ubi eidem ſancto duo erant dicata templa, monet in prænotatis ad Kalend. Rom. ante annos M. exaratum Joannes Fronto D. VII. Huc quoque pertinent Agaparum uſus, nempe *cœnarum dilectionis*, ut eas vocat idem Tertul. c. 3. Apologetici: has enim non niſi poſt communes in Eccleſia preces haberi ſolemne fuiſſe conſtat ex Chryſoſt.

ſoſt. Hom. 27. in Epiſt. 1. ad Cor. *Fideles enim omnes in Eccleſiis ſuis poſtquam audiſſent doctrinas; poſt preces, poſt ſacramentorum communionem ſoluta concione, non mox domum conſcendebant, ſed divites, & abundantiores alimenta, & edulia domibus ſuis afferentes, pauperes vocabant, communeſque faciebant menſas, communia prandia, communia convivia in Eccleſia ipſa*; immo non modo has cœnas oratio præcedebat, ſed eaſdem ſubſequebatur, uti ex Tertulliani Apologetico c. 39. eruitur. *Cœna noſtra*, Romanum Senatum alloquens Africanus Pater ait, *de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim ἀγάπη id quod eſt penes Græcos dilectio*. Et pluribus interjectis. *Editur quantum eſurientes cupiunt; bibitur quantum pudicis eſt utile: ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum ſibi eſſe Deum: ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Oratio convivium dirimit*. Atque in his cœnis ad Dominicum exemplum Apoſtolica uſque ætate, quemadmodum ex Epiſtola Judæ, & Pauli prima ad Corinthios liquet, inſtitutis, orationes fundebantur, vel communi peragerentur ad Euchariſticum cibum ſolemnitate, vel peculiaribus de cauſis, puta connubiorum, funerum, nataliumve dierum. Qua de re legeſis Baronium ad annum Chriſti 57. ex Nazianzeno, Origene, Chryſoſtomo, Auguſtino, Hieronimo, aliiſque Patribus harum ſolemnitates, & exercitia fuſe proſequentem. Huc referenda, graſſante Tyrannorum perſecutione atque Imperatorum edictis contra fidelium cœtus, prima Eccleſiæ conſuetudo neque metu mortis a communi oratione ceſſandi, ſed eligendi pro templo abditiſſima, & particularia loca, quæ gentium, quantum fieri poſſet, non paterent infeſtationibus; cujuſmodi ſæpe fuiſſe agros, ſolitudinem, navem, ſtabulum, & carceres ipſos perhibet Alexandriæ Epiſcopus Dyoniſius apud Euſebium Hiſt. l. 7. c. 2. *Cum ab omnibus fugaremur, atque opprimeremur, nihilominus tunc quoque feſtos egimus dies. Solitudo, navis, ſtabulum, carcer, ager inſtar templi ad ſacros peragendos conventus fuit*. Frequentior porro in his Eccleſiæ calamitatibus orandi locus erat privata domus, ejuſque remotius penetrale, uti Scriptoris Etnici apud Baronium ad annum Chriſti 57. teſtimonium declarat. *Pertranſivimus* (ſic

catholicum hominem fingens loquitur) *portas; multisque jam superatis scalis in domum aurato fastigio insignem ascendimus*. Sæpissime clam ad publicas preces conveniendi locum præbebant etiam ampli recessus subterranei in Cryptis arenariis passim obviis apud diversas terrarum regiones, teste Tertulliano, Dyonisio Alexandrino, atque Eusebio; sed Romæ cum primis, ubi tantum antiquitatis sacræ monumentum temporis ereptum invidiæ maximam admirationis caussam exhibet omnibus, qui earum structuram hodie dum contemplantur. Graphicis coloribus has Cryptas vel ævo suo nobis commendavit exaratas l. 12. in Ezech. c. 4. Hieronymus, qui liberalium studiorum caussa Romæ vivens non sine magno religiosi animi sensu cum aliis ejusdem ætatis solebat *Diebus Dominicis sepulcra Apostolorum, & Martyrum circumire, crebrique cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossa, ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepultorum; & ita obscura sunt omnia, ut propemmodum illud Propheticum impleatur: Descendant ad infernum viventes; & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram, quam foramen demissi luminis putes. Rursumque pedetentim acceditur, & cæca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur.*

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Huc vero convenisse ad publicam orationem persequentium feritatem declinaturos primos Religionis nostræ professores fidem facit vetustissimus autor Constitutionum Apostolicarum l. 6. c. 29. *Convenite in cœmeteria sacros libros in eis legentes, & psallentes*. Concinit Eusebius l. 9. Hist. Eccl. c. 2. *Dumque ad subruendam pacem nihil non molitur* (Maximinus Christiani nominis internecionem aggrediens) *primum quidem nostros a conventibus, qui in cœmeteriis fieri solebant, nescio quo prætextu arcere aggressus est*. Et Baronius in Notis ad Rom. Martyrologium die 3. Januarii. *In ea enim loca cum precum caussa convenire consuevissent frequenti cœtu Christiani, magis, magisque Gentilium furor sævire, atque grassari solitus est, uti scribit Tertul. in Apologet. & Minutius Felix in Octavio*. Huc denique spectat alia eodem persecutionum tempore consuetudo, quam excogitatam acce-

cepi-

cepimus ideo ut communibus orationum conventibus simul & vitæ consuleretur incolumitati. Cum enim publico vel tabularum, vel cornuum, vel tubarum signo, quod familiare priscis fuit, serius campanarum usu excogitato, ad orationes convocare fideles perspectum esset Patribus nostris idem esse, ac ad sui cladem satellitum armare dextram, privatim fideles singuli de loco & tempore conveniendi certiores fiebant juxta Episcopi præscriptum a publico ministro, qui vel è Diaconorum classe deligebatur; si vera prodit autor Epistolæ ad *Hironem Diaconum* Ignatius Martyr vulgo creditus, ubi hæc indicta leguntur: *Congregationes ne negligas: ex nomine omnes require;* vel alius publicus minister, cui unice hæc erat demandata provincia, & cursor dicebatur; de quo lege Epist. antiquissimi Patris, & Apostolorum coævi Ignatii ad Polycarpum certissimum hujus autoris fœtum, uti constans est omnium Criticorum sententia contra sublestas, & frigidas Calvinistarum Dolæi, & Blondelli conjecturas. In eadem Epistola occurret aliquando Episcopos ipsos eodem munere functos: ita enim Smirnensis Ecclesiæ Antistitem Polycarpum commonet Ignatius. *Quod autem operaris sit bene stabile. Sape congregationes fiant: ex nomine omnes quare.*

Porro tanta Ecclesiæ, atque fidelium in orando cura, & studium ab orationum exercitiis neque interminata morte temperandi, satis indicat, quam persuasum fuerit omni tempore Ecclesiæ necessarium esse orationis usum. Hanc Ecclesiæ consuetudinem, cujus veritatem primis iis temporibus detrahere non potest Lutheri sectator, si consuluisset Joannes Menhemius, ab orbe Christiano orationis necessitatem profecto non ablegasset: quamvis, ut nihil dissimulem, non unus ille est orationis hostis: socios in hoc habet Politicos; & præcessores habuit quot quot ad Pelagii castra olim deflexerunt; obganientes isti non esse necessariam orationem ad Dei gratiam, quam inficiabantur, impetrandam; effutientes illi etiam sine precibus Dei non defutura auxilia. Sed perperam utrique; nam ut omittam Pelagianorum illatum ex errore jamdudum a Conciliis & Patribus damnato errorem: certe palam nos docuit Deus ad obtinenda gratuita luminum, motuumque

ſupernaturalium beneficia opus oratione. En ejus notiſſima apud Lucam verba: *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*. Clariſſime loquitur Epiſtola Jacobi c. 4. v. 2. *Non habetis, quod non poſtulatis*: & Trid. ſeſ. 6. c. 11. *Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere, quod non poſſis*. Auguſt. de dono perſev. l. 2. c. 16. *Conſtat Deum alia non orantibus, ſicut initium fidei; alia non niſi orantibus præparaſſe, ſicut uſque in finem perſeverantiam*. Hæc ſuperni auxilii munera oratione quoque publica poſtulanda eſſe, & reapſe ab Eccleſia poſtulata fuiſſe in publicis precibus multa ſunt, quæ ſuadeant veteris Eccleſiæ monumenta, ſi præſenti benignas aures accomodare Heterodoxi detrectent. Nihil frequentius in antiquiſſimis Jacobo, Marco, Petro adjudicatis Liturgiis, in aliis Baſilii, & Chryſoſtomi; in iis, quæ de Liturgia exhibet Cyrillus; tandem in quibuſcumque aliis Miſſarum ordinibus Occidenti, atque Orienti a primo Eccleſiæ ſæculorum decurſu uſitatis, occurrit, quam divinæ gratiæ implorata chariſmata, & culparum remiſſio, ne dicam eòdem collimaſſe in canonico officio Collectas ad ipſus finem dici ſolitas ab eo, qui cæteris dignitate præſtabat. Teſtes hac de re ſunt, ut ipſa collectarum verba a priſcis Miſſarum, & Horarum Ordinibus deprompta miſſa faciam, Cœleſtinus hujus nominis I. ad Romanam Cathedram anno CCCCXXIII. aſſumptus, & Auguſtinus: Ille in Epiſt. ad Galliarum Epiſcopum *de Gratia Dei* pro Proſpero, & Hilario c. 11. *Obſecrationum*, ait, *ſacerdotalium ſacramenta reſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita in toto mundo, atque in omni catholica Eccleſia uniformiter celebrantur, ut legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi. Cum enim Sanctarum plebium Præſules mandata ſibimet legatione funguntur, apud divinam Clementiam humani generis agunt cauſam, & tota ſecum Eccleſia congemiſcente poſtulant, & precantur ut infidelibus donetur fides, ut Idololatræ ab impietatis ſuæ liberentur erroribus, ut Judæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, ut Hæretici catholicæ fidei perceptione reſcipiſcant, ut ſchiſmatici ſpiritum redivivæ charitatis recipiant, ut lapſis remedia pœnitentiæ conferantur, ut &c.* Auguſtinus hoc idem inſi-

insinuat Ep. 107. ad *Vitalem Cartaginensem*, cujus impiam sententiam contra gratiæ necessitatem evertit ex publice susceptis pro ipsius dono precibus; *Exerce*, inquit, *contra orationes Ecclesiæ disputationes tuas; & quando audis ad altare sacerdotem Dei exortantem, populum Dei orare pro incredulis, ut eos Deus convertat ad fidem; & pro Cathecumenis, ut eis desideria regenerationis inspiret: & pro fidelibus, ut in eo, quod esse cæperunt, ejus munere perseverent, subsanna pias voces &c.*

Et si non omnibus, publicis tamen precibus bellum manifeste indixit XVI. Ecclesiæ sæculo, quæ ab Anabaptistarum fæce, Autore Menno, emersit impiissima secta, cujus gregarii hodie dum per Frisiam, Bataviam, & Angliam dispersi vitam multis erroribus obnoxiam traducunt. His novis Doctoribus perinde ac aliis ora obstruit eadem primævæ Ecclesiæ consuetudo; idem Pontificum, & Patrum sensus; immo multorum inter recentiores hæreticos mos non omnino refugientium a natura cuilibet insitum publice orandi necessitatis lumen, ne dicam ipsi ferarum nationum mores, quibus ad hoc suos fuisse sacerdotes, sua fana deprecandis propriis Diis legimus instituta. Verum cum moneant isti se divina autoritate doceri, ut ita sentiant, scribente Evangelista Matthæo c. *6.* v. *6.* *Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora fratrem tuum in abscondito.* Ideo exploratum fieri oportet nihil esse, quod ad suum errorem stabiliendum ab hoc Matthæi loco suffragium mutuentur; ibi enim non de publica oratione agit Matthæus, quam proprio probavit exemplo; sed de privata, ut satis evincunt ea verba *tu autem cum oras*; atque in privatis precibus id non ut legem, sed tanquam cautionem proponit, ut obvia eatur obrepenti humanarum laudum auræ, cui captandæ vacant aliquando mortales, quemadmodum olim Pharisæi in vanum, & fallacem populi rumusculum commutantes solida, & æterna præmia, quibus remunerari solet Deus præstita bonorum operum facta. Hanc esse sacri Scriptoris mentem clarum erit legenti memoratum caput, ubi totus est Evangelista in docendo, quomodo Eleemosinæ, Jejunia, atque alia privata virtutum opera instituenda sint, ne aliquibus vitiata circumstantiis eternæ mercedis inducant jacturam.

Ut

Ut vero hactenus memorati nimis deprimebant ; ita , quos referemus , nimis attollere orationis præceptum tentarunt . Messalianorum error fuit , nunquam ab oratione cessandum . Erupit hæc hæresis in Mesopotamia , occupante solium Orientale Constantio . Dicti sunt alio nomine Euchitæ , seu precatores ; idenim Syriaca lingua Messalianorum vox sonat . Rigido huic documento pariter ipsa primæ Ecclesiæ praxis adversatur, frequens quidem, at non continuum, & numquam interruptum orationis exercitium indicentis . Apostoli orationi vacarunt , sed aliis insuper exercitiis operam dedere non exiguam ; neque plane corporis curam deposuerunt : *Apostoli* , scribit ad Rusticum Hieronimus , *habentes potestatem de Evangelio vivere , laborabant manibus suis , ne quem gravarent* , & Paulus auctor est omnibus ut ad victum sibi necessaria comparaturi laborent . Idem præstiterunt Apostolorum successores, qui licet in oratione fuerint exercitatissimi ; tamen rerum temporalium studio ut sibi , ut aliis opitularentur , nuntium non remiserunt. Nemo nescit populum a Patribus fuisse ad orationem adhortatum ; ita vero ut familiæ curam , opus manuum haud adimerent ; quæque corporis saluti , & quieti prodessent , non prohiberent . Lege Clementis Constitutiones l. 2. c. 63. Ignatium , Justinum , Epiphanium , Augustinum , Cassianum , & orationibus opera alia Christianorum moribus adiecta voluisse deprehendes . Præterea Sanctissimi Monachorum institutores ita suos ad orandum voluerunt deditos , ut laboribus simul intenderent : iis imo persuasissimum fuisse accepimus longiora temporis intervalla operi manuali , quam precum danda esse recitationi . Isaias Abbas Reg. c. 11. tria potissimum suis Monachis commendavit frequentem videlicet orationem , Psalmorum meditationem , & exercitium manuale . D. Nilus ad Anachoretam scribens illum præstringit , quod meditationi tantum animum dedens , cætera monasticæ vitæ exercitia negligeret : *non enim* , objiciebat , *sic se gessit D. Antonius celeberrimus totius Orientis Abbas ; quandoquidem diuturnum laborem , ac orationem doctrinæ copulabat :* & adversus monachorum agmen sub Archimandrita Paulo operibus tantum piis vacans non aliter scribit Isidorus Damiaten-

miatensis eos tanquam Evangelicæ veritati & Apostolicis exemplis adversantes persecutus. Auctor non vulgaris de Monachis Thebaidos loquens, *laborabat*, inquit, *manibus suis, & de labore suo pauperes pascebant*. Augustinus in eo, quem *de Monachorum opere* ad preces Aureliani Cartag. Episc. elucubravit, libro aperte demonstrat præter orationes alia munia monachis obeunda: quod idem passim occurrit in Regulis Pachomii, Isidori, Fructuosi, Cujusdam *ad Virgines*, Benedicti &c. Atque ut manualis labor præter alias ab oratione curas apud omnes Monachos instauraretur, in votis fuit Domno Abbati Buthilierio ad monasticam vitam primi instituti rigorem restituendam, quod ipse in suo monasterio Trappæ voluit observatum, & passim per Orientales plagas dispersi veterum Ordinum Monachi, immo Antistites ipsi observant.

At inquiebant: nonne Lucas c. 18. indixit omnibus continuam orationem? *Oportet semper orare, & non deficere*: Nonne Paulus Epist. 1. ad Tessalonicenses c. 4. hortatus est fideles ut semper orarent? *Sine intermissione orate*. Ita profecto; At *semper* non pro continuo, & phisice nunquam interrupto orandi tempore, sed pro perseverantia, & constantia donec exaudiamur interpretandum esse ait Salmeron t. 7. tr. 31. Aug. vero hæres. 57. Lucæ, & Pauli verba *ita sanctissime accipiuntur*, inquit, *ne ulla dies sine oratione intermittatur*.

CAPUT II.

Priscam orandi frequentiam potissimum in horis canonicis sitam fuisse ostenditur. De variis horarum canonicarum nominibus. Dictæ Psalterium, Cursus, Officium, Canon, Missa, Sinaxis, Sacrificium, & Opus Dei.

CUM orationis amore non mediocri, & frequenti teneretur primæva Christianorum pietas, ut capite superiori demonstratum est; & vehementissimum illud orandi studium proveniret ex maximo præcepto, quod Ecclesiæ persuasum erat a Deo impositum fuisse Evangelicæ legis professoribus, ut sine intermissione orarent: nunquam credendum

dendum est privatæ cujuscumque religioni ita permisisse Ecclesiam divini præcepti, ut simul de conventu ad publicam, & universalem orationem legem non ediderit, unde novi fideles & discerent, & complerent inditam a Deo semper orandi necessitatem: nec aliter sentire quis potest, nisi simul fateatur primis sæculis Ecclesiæ disciplinam, & pietatem remissiorem fuisse posterioribus: cumque hodie dum Ecclesiasticæ leges adigant fideles ad quotidianos, vel saltem frequentes publicarum in templo orationum conventus, concedat nullam primitus fuisse legem, quæ ad hujusmodi orationem Christianum populum induceret.

Publicas autem preces a prima Ecclesia frequentatas, cunctisque cum Clericis, tum Laicis familiares, iis maxime accessisse, |quæ nobis in Canonico Officio persolvuntur, imo easdem saltem, quoad earum naturam spectat, fuisse, argumento sunt. multa Scripturarum, & Patrum testimonia, quibus apertum fit priscos fideles ut plurimum se totos dedisse Psalmis, Hymnis, & Lectionibus, dum in templis, vel, obstante persecutionum metu, in domo aliqua privata congregabantur supremo numini laudes exhibituri; *Cum convenitis*, inquit, Paulus ad Cor. 1. c. 14. *unusquisque vestrum habet Psalmum, Doctrinam habet, Apocalypsim habet*. & ad Colos. c. 3. v. 16. hortatur populos, ut officia pietatis frequentent *in Hymnis, Psalmis, & Canticis spiritualibus*. Suffragantur Aug. ep 109 *In Oratorio nemo aliud agat nisi id, ad quod factum est, unde & nomen accepit. Psalmis, & Hymnis cum oratis Deum hoc versetur in corde, quod profertur in voce;* & alii Patres, qui dum sermonem instituunt de publicis primorum Christianorum precibus affirmant Psalmis, Hymnis, atque Lectionibus absolutas fuisse, ut ex eorum verbis infra dandis constabit. Accedit Ecclesiam eosdem nunc servare orationum conventus, quos Apostoli, & post ipsos proximi sacrorum Præsides agebant, paucis circa formam immutatis, reddita pace, auctoque fidelium numero, quæ ab initio non licebant; ita vel propter temporis angustias, vel persecutionum terrorem exigente primæ Christianitatis conditione: Quare cum hodiernæ fidelium in templis congregationes tandem ad duas præ-

fertim

sertim classes reducantur, nimirum ad Liturgiam, & Divinum Officium; reliquum est, ut fateamur primi christiani nominis professores, præter divinam oblationem, habuisse publicè orandi institutum juxta nostras horas canonicas. Quod usque adeo verum est, utipsæ privatorum orationes ab his propè non differrent reddentium privatim per Psalmos, & Hymnos cordium suorum vota, uti a publica Ecclesiæ consuetudine hauserant. Hujus rei testes sunt omni exceptione majores Tertull. ad Uxor. l. 2. *Sonant*, inquit, *inter duos Psalmi, & Hymni, & mutuo provocant, quis melius Deo suo cantet. Talia Christus videns, & audiens gaudet. Ubi duo, ibi & ipse*. Et Basil. in Psal. 2. *Psalmorum eloquia*, ait, *& domi ventillant, & medio in foro secum circumferunt*. Ambrosius quoque de Virgin. l. 3. *Etiam in ipso cubili volo Psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice*.

Porro S. S. P. P. Apostolorum ætatem proximè subsecuti, aliique remotioribus sæculis non uno usi sunt nomine ad exprimendam earum precum formam, quæ nostro ævo Canonicarum Horarum nuncupatione communiter donantur. Eadem vocabulorum diversitas observanda pariter occurrit apud Concilia, Pontifices, ipsosque Monachalium Regularum Constitutores. Illud autem inde factum arbitror, quòd cum Deum amare, laudare, eumque vera fide, tamquam supremum omnium Arbitrum, invocare res sit maxima, & supernaturalis; adeoque humanæ naturæ viribus major, jam propria humano captui non suppetunt ad rem pro merito exprimendam vocabula, utpote quæ ad rerum naturas, & proprietates, quantum fieri potest, exprimendas a sapientibus excogitari solent.

Usitatissimum fuit I. *Psalterium* nuncupari, quia major pars constabat ex Psalmorum recitatione, vel cantu. Hier. Epist. ad Rusticum: *Nunquam de manu, & oculis tuis discedat liber, discatur Psalterium ad verbum*. Greg. Turon. l. 5. c. 20., agens de duebus Episcopis ab exilio revocatis majori indulgentia, quam æquitate, affirmat exilii tempore divino officio continuam operam navasse ea verborum circumscriptione, quam pro Psalterio positam nemo non videt. *In tantum compuncti sunt, ut viderentur nunquam a psallentia cessare, cele-*

brare jejunia, eleemosinas exercere, librum Davidici carminis explere per diem, noctesque in hymnis, & lectionibus deducere. Isidor. de Script. Eccl. c. 27. loquens de B. Leandro Episcopo Parisiensi hæc habet. *In toto Psalterio duplici editione orationes conscripsit. In sacrificiis quoque, laudibus, & Psalmis multa dulcisona composuit.*

Dicebatur II. *Cursus*, quia explebatur hoc præceptum, præscriptam ab Ecclesia Psalmorum, Lectionumqne copiam percurrendo. Idem Turon. Greg. c. 32. l. 5. *Nulla prorsus de Deo erat mentio, nullius omnino cursus memoria habebatur.* Venant. Fortunatus in Vita Germani Parisiensis Episcopi c. 7. *Qui equitans in itinere semper de Deo aliquid contulit, aut cantavit. Cursum nudo capite dicens, etiamsi nix, aut imber urgeret.* Alcuinus in Confessionis formula. *Peccavi, quod negligens fui de meo cursu, quem per horas Canonicas exsolvere debui.* In Actis Februniæ Virginis, & Asceteriæ Monachæ apud Bollandum die 25. Junii è M. S. Vaticano Græcè editis legimus Horarum recitationem his ferè verbis expressam: *Post expletum Psalmodiæ cursum, librum accipiebat Platonis* (nomen fœminæ religiosæ) *divinasque scripturas ex eo perlegebat Sororibus usque ad horam Nonam.*

Vocari solet III. *Officium divinum* vocabulo ad nostram usque ætatem profecto, & a frequentissimo ejus usu rem præ aliis omnibus vulgo propriè denotante. Officium autem a majoribus nostris fuit dicta publica hæc oratio, quòd his vacare precibus actio sit propria, & debita eorum, qui se totos Deo sacrarunt; unde divinum fuit præterea nuncupatum. Hieron. in vita Hilarionis *Oremus, Psallamus, reddamus Domino officium, & sic ad vitam properabitis.* Greg. Turon. l. 9. c. 6. *Locus officium perdidit.* Concil. Aurel. 1. c. 27. *Ad Celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, Provinciales observare debebunt.* Capitulare Gregorii II. *Unusquisque Sacerdos, seu Minister sacra Missarum Solemnia, sive cætera diurnarum, & nocturnarum horarum officia studeat observare.* Plura veterum testimonia in re satis obvia nihil est, quod congeram.

A Rufino in vitis Patrum l. 3. c. 5. vocatur *Canon*, quæ vox Græca apud Grammaticos regulam significat. Utuntur ea in

in hoc sensu sacri, & prophani Scriptores, quorum testimonia proferunt Lexicographi, & Præfationes eorum, qui in Ecclesiast. jus elucubrationes ediderunt. Hæc autem vox ad rem nostram significandam traducta fuit, quòd orandum hìc sit juxta regulam ab Ecclesia statutam. En Rufini verba exprimentia sensus Monachorum, quos in Solitudine invisebant Fratres. *Non possumus propter vos omnem Canonem psallere, ideoque repausate modicum, quia de itinere fatigati estis.* Greg. Turon. *Lecta igitur passione cum reliquis lectionibus, quas Canon sacerdotalis invexit, tempus ad sacrificium offerendum advenit.* Supra laudatus Venant. Fortunatus in vita B. Germani: *Tertia noctis hora ingrediens, non est egressus ulterius Psallentium ab ordine, donec clarescente jam die decantatus solemniter cursus universus consummaretur ex Canone.* Vetustissimum illud antiquitatis monumentum, quod depromptum ex Actis Februniæ dedimus supra juxta Interpretum versionem, *pro Psalmodiæ cursu* exhibet Græcè *Psalmodiæ Canonem*. Non me latet in dubium revocari à multis veritatem hujus scripti, meaque pariter sententia saltem ad incertorum classem est relegandum. Sed vacillante fide historiæ, certum tamen mutuari argumentum ex solis verbis, per quæ ab antiquissimo Scriptore Acta incerta, vel ficta exprimuntur, nihil obstat: solent enim, vel ipsi opera supponentes homines, verba, aut antiquissima, aut sua ætate usitata accomodare rebus, quas supponunt, exponendis.

Ex hoc fonte manavit vox illa Horarum Canonicarum, nunc temporis frequentatissima, per quam significatur utraque Ecclesiæ præscriptio, nimirum Deo laudes offerendi regula, & hora statuta. Occurrunt passim testimonia Scriptorum publicis his precibus assertum nomen tribuentium, ideoque iis proferendis non juvat immorari.

In Concilio Agathensi sub Papa Symmacho anni 506. vocatur c. 30. *Missa* his verbis. *In Conclusione matutinarum, vel vespertinarum Missarum post Hymnos, Capitella de Psalmis dicantur.* Pro divino officio pariter eadem vox *Missa* usurpatur à Cassiano c 13. l. 2. instit. *Quare post Missam nocturnam dormire non oporteat*, &c. 15. sic. *Qua lege modestiæ post orationum missam* (idest post officium per orationes peractum) *unusquisque ad suam Cellulam redeat.* Author autem est Pe-

trus Ciaconius in suis ad Cassianum Alphabeticis Annotationibus,tum l. l. c. c.,tum alibi, modò pro divino officio, modò pro aliqua officii parte sumptam a Cassiano *missæ* vocem debere accipi; quo sensu accipitur in regula antiquissimi Patris c. 30. *Duodecim Psalmi in nocturnis conventibus cantabuntur, præter illam missam, quæ celebratur in ortu Solis*; Hoc est, præter matutinum orationis conventum nobis, & priscis horam primam nuncupatum. In eodem sensu a Johanne Monacho in vita S. Odonis usurpatur. *In quotidianis diebus inter diei noctisque cursus* 138.*canebant Psalmos, ex quibus* 14. *nos dempsimus propter pusillanimorum animos, exceptis peculiaribus orationibus*. ... *Similiter duabus Missis, idemtidemque Letaniis*. Ratio exprimendi per hanc vocem divinum officium desumenda videtur a propria ejus significatione: Missa enim est idem, ac dimissio; quare cum fidelibus Monachisque liceret, expleto officio, abire, dictum fuit Missa officium; non secus, ac ab eadem abeundi facultate incruentæ oblationi contingit: Hoc sensu Sanctissimus Monachorum parens Benedictus c. 17. Regulæ dixit. *Post expletionem trium Psalmorum, recitetur lectio una, versus, & Kirie eleison, & Missæ sint*.

Septimo Athanasius l. de Virgin. *Synaxim* nominat hoc est collationem, quia ad effundendas hujusmodi preces simul adunantur fideles, ac plurium animi collecti quodammodo in unum reducuntur ad Dei laudem. *Si*, inquit, *ingrederis in templum duodecima hora, majorem, & longiorem facies synaxim*. Consentiunt Cassianus l. 2. *de canon. noct. orat. & Psal. modo* c. 10. *Cum igitur prædictas solemnitates, quas illi Synaxim vocant, celebraturi conveniunt*; & alii Patres hac voce utentes pro congregatione Fidelium, vel Monachorum ad Psalmodiam, quamvis usurpetur a multis etiam pro conventu ad audiendum Dei verbum, & pro ipso novæ Legis Sacrificio, uti a Dyonisio Eccl. Hierarchiæ c. 3, vel alio tandem authore ejus operis, quod a Dyonisio communiter recentiores Critici abjudicandum censent.

Appellatur Octavo *Sacrificium* à Hieronimo ad Lætam *Accensaque lucerna assuescat reddere sacrificium vespertinum*, videlicet vesperarum orationes, mutuata voce a Regio vate, qui Psal. 140. sacrificium dixit orationes a se sub vesperam

obla-

oblatas. *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Hoc nomen orationi convenit; quia cum per orationem nos, nostraque omnia Deo offerantur, ejusque gloria per hunc Religionis actum latreutico cultu quam maxime deprædicetur, jam patet aliquam ei inesse cum Sacrificio communem rationem. Illud tamen fateor Hieronymum hic intelligendum esse de sacrificio impropriè dicto, eaque ratione attributam a S. Doctore divino Officio sacrificii denominationem, qua eleemosinæ, aliisque bonis operibus eadem denominatio tribuitur e scripturis; & subinde nullum ex eo derivare patrocinium in errorem Melanktonis, & Kemnitii, autumantium cujuis bono operi propriam competere sacrificii rationem.

Gregorius cognomento Magnus Epist. 13. l. 9. eximiè officium appellat *Opus Dei*; ita enim respondet Balneo Regiensibus, qui electum Diaconum obtulerant, ut per sacrarum manuum impositionem sacro ordine initiaretur. *Et si nihil est, quod Canonice ei possit obsistere; requirendum quoque est, si in Dei Opere studium habuit, vel Psalmos novit, & si talis fuerit, eum ad nos cum testificationis Epistola dirigat.* Hoc nomine illud quoque donat S. Donatus Episcopus Vesontiensis in Regula, quam pro Monialibus scripsit, ut legere est apud Holstenium.

Ex dictis inferre est fronte quam præfricta suis, & Catholicis in Vitembergensi Confessione imposuerit Brentius Canonicarum Horarum nomine intelligi dumtaxat certa tempora, quibus ex canonum præscripto sacræ in Ecclesia Scripturæ sunt certo ordine per annum legendæ. Consulatur can. *Sancta Romana Eccl.* dist. 15. ab iis verbis *Cæterum qui libri* usque ad finem, atque in eo canone Scripturas singulis legendas mensibus non horis assignari perspicuum erit: ut quid ergo horarum nomine intelligendum autumat id, quod singulis legendum mensibus præscribitur?

CAPUT III.

De Antiquitate Divini Officii agitur. Quid suadeat ad Apostolorum ætatem esse referenda ejus initia. Refellitur Magdeburgensium effatum, repetentium divini Officii originem solum a Pelagio P. M. Ipsorum deliria, accersentium ad notas Antichristi hujus orationis institutum, destruuntur.

HOrarum Canonicarum originem nemo, qui Ecclesiæ Annales sanctosque Patres, vel a limine salutarit, inficias ire poterit Apostolorum ætati esse referendam. *Quod spectat ad antiquum certis horis orandi ritum ab Apostolis in Ecclesiam deductum*, ait Eminentissimus Annalium parens ad annum Christi 34. Narrat conscripta a Luca Apostolorum historia Discipulos omnes ad communem habendam orationem tertia diei hora convenisse, quod factum a Petro circa horam sextam ibidem traditur: insuper ipsum Petrum, atque Joannem ascendisse in templum ad horam orationis Nonam patet ex c. 3. v. 1. ejusdem historiæ; & quidem frequenti usu, si qua fides ejus loci Commentatoribus, ac precipue Erasmo, cui, licet de Catholica communione suspecto, multum tamen laudis debetur, quod a Novatorum calumniis plura nostræ Religionis Dogmata, & veteris Disciplinæ capita scriptis suis liberarit. Hæc itaque habet Erasmus Paraphrasi in Acta Apostolorum. *Petrus autem, & Joannes hora diei vergentis ad Nonam consueverunt vacare precationibus, jejunantes usque ad Vesperam*. Audierunt Paulum, & Silam media nocte Deum precibus laudantes, qui eadem erant in custodia juxta Lucam Act.16.v.26. Ex quo Apostolorum vestigia certis diei horis gloriam Deo per preces reddentium sequenda sibi esse duxit Ecclesia, atque ab ipso sui exordio, quæ fuerant Apostolis solemniores in orando horæ, eidem dicavit exercitio, ut evincunt Tertulliani, aliorumque Patrum in medium producenda loca. Tertullianus igitur l. de Jejun c. 10. affirmat Tertiam, Sextam, Nonam horas fuisse Apostolorum precibus consecratas, quod insi-

insigniores essent in rebus humanis, ideoque & Apostolicarum nomine donat. *Horarum*, inquit, *exinde Apostolicarum Tertiæ, Sextæ, Nonæ*, & has ab Ecclesia officio destinatas suo tempore testatur eodem libro, *ut sexta diei hora finiri officio huic possit*. Clarius per hæc horarum spatia orandi Ecclesiæ antiquissimam consuetudinem declarat idem Author c. 25. uberioris illius opusculi *de orat.*, quod nuperime lucem vidit per Ludovicum Muratorium tom. 3. Anecdot. p. *9*. *De tempore*, ait, *non erit otiosa extrinsecus observatio, etiam horarum quarumdam istarum, dico communium, quæ diei interspatia signant, Tertia, Sexta, Nona, quas solemniores in Scripturis invenire est .... Exceptis utique legitimis orationibus, quæ sine ulla admonitione debeantur ingressu lucis, & noctis.* Cyprianus de Orat. Dom., ut morem longe ante sua tempora receptum in Ecclesia scribit tribus horis, Tertia nempe, Sexta, & Nona Deo preces fundendi, hisque alias suo ævo super additas ita testatur: *Sed nobis, Fratres dilectissimi, præter horas antiquitus observatas orandi, nunc & spatia, & Sacramenta nobis creverunt, nam & mane orandum est, ut Resurrectio matutina oratione celebretur, quod olim Spiritus Sanctus designavit in Psalmis* &c. *Recedente item Sole, ac die cessante necessario rursus orandum est*. Apostolicam sapere institutionem morem se Deo commendandi Psalmis, & Hymnis in Ecclesia disertis verbis pronuntiat Aug. Ep. 119. c. 18. *De Psalmis, & Hymnis canendis, cum & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta, & præcepta*. Ad hujusmodi preces referri potest, quod coævus Apostolorum Ignatius Martyr in Epistola ad Magnesianos scribit, suadens populum, ut Ecclesiam frequentet simul oraturum. *Omnes ad orandum in idem loci convenite, sit una communis precatio, una mens, una spes in Charitate, & fide inculpata in Christo Jesu, quo nihil est præstantius*. Eadem, & aperta de divino Officio occurret mentio apud Athanasium, Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Theodoretum, Eusebium Cæsariensem, Cassianum, aliosque Patres, qui omnes cum antiquissimum Psalmodiæ institutum agnoscentes in Ecclesia elaborarint duntaxat, ut, vel ejus persolvendæ ritum posteris manifestarent, vel ejusdem studium majori religione inter suos promoverent, satis produnt

ori-

originem Divinarum orationum ſtatis horis ad Apoſtolicam ætatem eſſe rejiciendam.

Rem totam ſe unis evincerent, quæ ſub Apoſtolorum nomine circumferuntur Conſtitutiones, ſi genuinum apud recentiores Criticos fœtum audirent: ibi enim præcipitur precationes, vel in Eccleſia, vel, in domo aliqua privata communi conventu in dies repeti. *Precationes facite Mane, Tertia, Sexta, Nona, Veſpere, atque ad Galli cantum*, & deinde. *Si ad Eccleſiam prodire non licuerit propter infideles congregabis Epiſcope in domo aliqua*. At cum tantam antiquitatem communiter ablegent ab his Conſtitutionibus Critices periti, cumque officio publico in eodem Canone aliquot tempora præſcribantur, quæ ſolum Cypriani, & Athanaſii ævo invaluerunt, nullum ideo ſolidum noſtro argumento inde mutuari poſſe fundamentum profitemur.

Mirari hic ſubit nefariam Centuriatorum confidentiam, quibus haud ſatis effrænata lingua, ſtylique petulantia in Romanam Eccleſiam paſſim invehi in ſuis Centuriis, mille calumniarum fæcem in ejus doctrinam evomere, atque inter cætera ſacrum divini officii inventum Antichriſti notis accenſere, eò falſitatis etiam devenire viſum eſt, ut Canonicarum horarum initia ſolum a ſexto ſæculo derivanda eſſe perfricta fronte autumarint, Romanam Sedem implente Pelagio. At hujus atrocis Calumniæ falſitas, vel ex eo maxime patet, quod præter tantorum Patrum recenſita teſtimonia, præter Apoſtolorum exempla, & documenta, quibus Prophetarum, totiuſque Iſraelitici populi addere potuiſſemus inſtitutum, mentionem habuerint de hocce precandi genere Concilia Pelagio longè antiquiora; illudque jam frequentatum in Eccleſia, vel frequentandum ediſſeruerint. Concil. Eliberitanum ante decimam Chriſtianorum a Diocletiano, & Maximiano excitatam perſecutionem, hoc eſt ante annum 303., c. 25. meminit de nocturno officio, ſeu Vigiliis haberi ſolitis ante ea tempora, queis, ne impoſterum interſint fœminæ propter irrepentes abuſus, prohibetur eodem canone. Ex Concilio Laodiceno, quod Baronio eſt Nicæno antiquius, aliis communiter poſterius, ſed ante Damaſi I. tempora ad Pontificatum anno 367. aſſumpti celebratum, eruitur

tur tùm temporis in more Ecclesiæ positam fuisse talem orationem; cum vetent ejus Concilii Patres alias haberi in Ecclesia lectiones præter desumptas ex libris novi, & veteris testamenti; alios Psalmos cani præter publicos, atque ab Ecclesia receptos, ex quorum utrisque officium conflari nemo nescit. Concilii quoque Cartaginensis IV. sub initio Pontificatus Anastasii, seu anno 398. convocati statutum habemus: *ut clericus, qui absque corpusculi inæqualitate Vigiliis deest, stipendiis privetur* ita can. 49. A Concilio Toletano I. anno Christi 400., ut omnium primus animadvertit Baronius, congregato decernitur c. 9., ne vespertinum officium solemni pompa alibi, quam in Ecclesia peragatur. Mitto alia Conciliorum ante Pelagii Pontificatum decreta, quæ in promptu essent, quæque forent nefariorum hominum falsitati magis illustrandæ, nisi ad hanc convincendam satis, superque foret canon ipse, quo suum Novatores adstruunt figmentum.

In repetenda hujus orationis origine hallucinatum pariter colligimus Polydorum Vigilium auctorem plerumque futilem l. 6. c. 2. *De Rerum inventoribus*, vel dum ex aliorum sententia Eusebio Cremonensi, aliisque multis refert canonici pensi exordia; vel dum ex propia Pelagium II. facit hujusmodi præcepti auctorem. *Quod satis constat, Pelagius II. decrevit, ut ipsa canonica hora quotidie à sacerdotibus recitarentur*. Nam quæ adversus Illyricum retulimus vetusta monumenta, & sincera antiquitatis Acta compertum reddunt longe ante VIII. Sæculi finem, quo Petri solium tenebat Pelagius II., hoc viguisse in Ecclesia præceptum.

Quod attinet ad Antichristi notam alteram calumniam, quam! sacro huic instituto impingit cum suis asseclis præcipuus Centuriarum auctor Mathias Illyricus cent. 6. c. 10. colum. 614. *Notis Antichristi*, ait, *hic quoque* [Pelagius] *fuit insignis: nam instituit, ut Clerici quotidie horas Canonicas septies cantarent; ut habetur* dist. 91. c. *Eleutherius frater:* quamvis error sit, quem retulisse, refelisse est: nihilo tamen secius plura sunt, ex quibus dilucide constat, ut sibi hac in re minime constent Centuriatores, seque ipsos prodant mendaces. Et primo certum est nullum apertius esse falsita-

D tis

tis inditium, quam contradictiones adoptare. Aiunt, itaque, adinventum a Pelagio divini officii ritum notam esse, quæ Authorem Antichristum declarat. Si ab iis autem efflagites, quis inter Petri successores Antichristum esse, & audire primus meruerit? Gregorium respondent, cognomento magnum virum multa vitiorum sarcina infamem. At Gregorium Pelagio fuisse in Pontificatu posteriorem fidem faciet inspecta Pontificum ordinata successio, quam inter præcipua suæ Religionis argumenta ostentant Catholici, & prostat etiam in Heterodoxorum libris. Quomodo ergo ex hac institutione apertam contraxit Antichristi notam Pelagius; si solum post Pelagii Pontificatum, fatentibus ipsis, Antichristus in Petri Cathedram irrepsit? Deinde in producto a Centuriatoribus canone Pelagius respondet Eleutherio Episcopo, non præceptum novum in Ecclesia de horarum penso instituens, ut ignaris imponentes fingunt Centuriarum auctores; sed modum suggerens, quo animadvertendum erat Eleutherio in Clericos, qui jam pridem constitutam horarum frequentiam negligebant privatis negotiis vacaturi: *contumaces*, ait Pelagius, *debita objurgatione compesce, & modis omnibus Vigiliis vacare compelle*.

CAPUT IV.

Disciplina primæ Ecclesiæ minores æque, ac majores Clerici ad diurnum officii pensum adstringebantur. Eidem obligationi obnoxii erant ipsi Laici homines. Orientales populi Maronitæ, & Cophti, & Christiani vulgo D. Thomæ adhuc publico Officiorum cantui interesse obligantur.

FAcile sibi multorum hominum dessidia blandiri posset existimando diurnam horarum canonicarum frequentiam pium fuisse eorum temporum fervorem, non legem: & si præceptum fuerit aliquod de iis, nihil obstare quominus dicatur aliquos tantùm homines, vel dies illud respexisse. Ne tamen tantam sibi illi tribuant in judicando licentiam, satis esse possent duorum Ecclesiæ luminum Augusti

gust. & Athanasii contra eorum persuasionem deposita testimonia, quorum primus laudato cap. 18. Ep. 119. *De Hymnis*, ait, *& Psalmis canendis, cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, exempla, & praecepta*. Alter l. de *Virgin.* postquam enucleatissime, & horarum numerum, & Orationis temporum fuerit prosecutus significationem, subdit; *& haec certa pensa tibi sint per singulos dies*. Hic tamen sistere nobis non videtur. Ad cujuslibet dicta praecludenda age rem in majori lumine collocemus, & ostendamus quoscumque tum ex Cleri, tum e saeculi numero indeclinabili hac lege fuisse primis temporibus obnoxios. Ejusdem igitur necessitatis fuisse antiquitus Clero, ac officii jugo mancipari plura sunt, quae suadeant. Sanciverat Concilium Tarraconense II. anni 517. c. 7. ut diebus singulis matutina & vespertina officia decantarentur ab omnibus Clericis, inter quos plures fuisse minori tantum ordine decoratos nemo in dubium vertit. *De Clero*, ait, *id placuit definire ut Presbiteri, vel Diaconi, qui inibi constituti sunt cum Clericis septimanas agant, idest ut Presbyter unam faciat hebdomadam, qua expleta succedat ei Diaconus similiter, ea scilicet conditione servata, ut omnis Clerus diebus omnibus Vesperas, & Matutinas celebret*. Toletanum IV. Ærae Hispanicae *661*. celebratum pro viribus Dominicam orationem divino officio interseri studens, praeceptum suum iis verbis edisserit, ut manifeste minorum Clericorum ad horas canonicas inde colligatur obligatio. *Quisquis ergo*, inquit, *sacerdotum, vel subjacientium Clericorum hanc orationem Dominicam quotidie aut in publico, aut in privato officio praeterierit, propter superbiam judicatus, ordinis sui officio mulctetur*. Inter plures inquisitiones, quibus fungi erat visitantium Episcoporum, est apud Reginonem de Eccl. disc. c. *26*. & seq. debitum investigandi, an Parochi clericum haberent divinae recitationis comitem: *Inquirant, si Clericum habeat Presbyter, qui cum eo Psalmos cantet. Si nocturnis horis ad matutinas laudes persolvendas surgat. Si Primam, Tertiam, Sextam, Nonam certo tempore, signo Ecclesiae denuntiet, & Cursum debitum cantet*. Clariùs ad omnes clericos hanc referr- obligationem eruimus ex Paenit. Egberti Eboracensis Episcopi c.

pi c. 5. 6. & 7. *Si quis Clericus* verba sunt c. 5. *aut Monachus corporis sanitati consistens vigiliis, & quotidianis officiis defuerit, perdat communionem*. Ex Capitul. 1. Martini Bracarensis Episcopi c. 63. *Si quis Presbyter, vel Diaconus, vel quilibet Clericus .... ad quotidianum Psallendi sacrificium matutinis, vel vespertinis horis ad Ecclesiam non convenit, deponatur a clero*. Idem colligimus ex c. 7. Synodi sub S. Patricio sæculo VI. ex c. 14. Synodi Veneticæ sæculo V. ex c. 49. Synodi Cartag. IV. sæculo IV. celebratæ, ubi stipendiis jubentur privari clerici, *qui absque corpusculi sui inaqualitate Vigiliis desunt*. Celebris hac in re est Justiniani Imperatoris Constitutio, qua piissimus vir Ecclesiasticis decretis adminiculum præbens clericos quoscumque ad hoc pensum exsolvendum adstrinxit. Constitutionis verba etiamnum in Cod. de leg 41. leguntur. *Sancimus*, dicitur, *ut omnes Clerici per singulas Ecclesias constituti, per se ipsos psallant Nocturna, & Matutina, & Vespertina officia*.

Hactenus dictis majorem fidem conciliabunt ea, quæ apud antiquos de Canctorum, & Lectorum munere legimus. Ab Ecclesiæ incunabulis Cantores Lectoresque in Ecclesiasticis muneribus locum habuisse in Oriente, & Occidente testatissimum est. Meminere de primis Author Constit. Apostolicarum, Ignatius Martyr Epist. ad Antioch. Laodicenum, & Cartaginense IV. Concilia. De alteris Ignatius pariter laudata Epistola, Tertullianus, Cyprianus l. 2. Epist. 5. & passim veteres. Cantores ut plurimum inter initiatos Clericos non fuisse habitos colligit Baronius ad annum Christi 44. *Cantorem, seu Psalmistam officium potius, quam ordinem in Ecclesia designari certum est*. Vel si aliquando Clerici fuerint, juniores ad hoc assumptos, & sub Lectorum gradu innuit c. 21. Concilii III. Carthaginensis. *Lectores, Psalmistæ, & Ostiarii retinent nomen Clericorum:* & quod de duodecim clericis infantulis, qui cantorum munere fungebantur in Ecclesia, narrat Victor Uticensis Episcopus in sua Vandalicæ Persecutionis historia. Lectorum autem ordinatio in utraque Ecclesia vocari in dubium non potest; quin adeo certa est, ut in Orientalis Ecclesiæ monumentis persæpe soli appellentur Lectores, & eo nomine designentur Cleri-

Clerici omnes minores. Sic Clerus Constantinopolitanus contra Nestorium Lectorum voce omnes ex minorum clero comprehendit in Ephesino Concilio: *Obtestor ut hanc Schædam Episcopis Presbiteris, Diaconis, Lectoribus, nec non & Laicis ostendant.* Jam vero quis est, qui ignoret Cantorum munus fuisse quotidie divinis interesse officiis, nocturnos æque, ac Diurnos frequentare orationum conventus; publicis precibus concinendo præesse; denique certa lege cum Episcopo, & Clero canonicarum precum onus persolvere? *Non oportere præter canonicos Cantores, qui suggestum ascendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*, ait 15. canon Concilii Laodiceni. Idem fuit Lectorum officium, eadem lex. Audi Aug. l. 10. Confess. c. 33. *Quod de Episcopo Alexandrino Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis faciebat sonare Lectorem Psalmi, ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti.* Clarius Balsamon, qui testatur in Orientali Ecclesia morem fuisse ut Lectores *in Ambone divinas scripturas legerent*, postquam Matutinum in Ecclesiis absolvissent. Hinc si & nulli Clericatus ordini addicti, & ad primos tantum gradus evecti Clerici tenebantur stabili lege divinorum officiorum interesse recitationi; quid de reliquis sentiendum? Si hæc Cantorum, & Lectorum erat obligatio, an non Acolythorum fuerit Exorcistarum, & Subdiaconorum, etiam cum nondum sacris ministris Subdiaconum inseruerat inter Latinos Urbani II. decretum: nam inter Græcos his etiam temporibus Subdiaconos minoribus Clericis accenseri compertum est.

Sed ad Laicos, de quibus secundo loco acturos diximus, festinet oratio, & ostendat his omnibus noctu, dieque impositum antiquitus divina agere officia; ex quo simul dubium auferetur omne de clericorum omnium obligatione: si enim laicos hoc onere gravatos constabit; nulla profecto ratione Clericos ejusdem expertes fingere licebit. De nocturnis ergo primum conventibus, deinde de diurnis sermo instituatur. Etnicus Scriptor Plinius Epist. ad Trajan. fidem facit *solitos Christianos omnes stato tempore ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere*, In vivis erat Plinius

pro-

prope finem primi sæculi; quare inductum cum prima Evangelii luce hunc morem liquet. Huc spectant Tertulliani, Athenagoræ, Arnobii, Justini, Minutii Felicis pro nocturnis conventibus Apologiæ; ubi impacta Christianis primi, & secundi sæculi ab etnicis convitia diluuntur, & propter hujusmodi conventus male nationem *lucifugam*, *latebrosam* vocari christianos;, male propter eosdem nocturnos conventus accersiri christianam gentem promiscui incestus, ac violatæ religionis demonstratur. Porro nil nisi præconceptum in novam religionem odium poterat ad hæc imponenda christianis etnicos urgere: non enim una simul ad orationem hoc tempore conveniendi consuetudo erat iis comminiscendis; cum ipsis gentibus per quam esset familiaris, & nusquam apud auctores Etnicos ejusdem non occurrat memoria. Hoc patet in Achille Philostrati; in Græco Poeta apud Athenæum, in pluribus sacris apud Græcos, & Romanos, quo nefas mulieribus accedere præter quam sacro bonæ Deæ, cui ex prisco ritu, etiam si nocturno tempore celebrato, interesse mulieres, non vetitum scribit Alex. ab Alex. Genial. l. 6. c. 7. Sed ad rem nostram redeamus. Impius divinitatis inimicus Lucianus in Philopatro sic Christianos loquentes inducit: *Ad Hymnos tota nocte decantandos vigilantes talia somniamus*: Observatam custodum absentiam in tenebris memorat Ammianus Marcellinus l. 29 quòd die festo custodes *ritus Christiani in Ecclesia pernoctabant*. Quarto sæculo mirum in modum propagatam viguisse In Asia, Ægypto, utraque Libia, in Palæstina, in Phænicia, Syria, Arabia, aliisque Provinciis, quas alluit Euphrates, testis est Basilius Epist. 63. ad Clericos Ecclesiæ Neocæs.: & ea, quæ jamjam subjicimus ex omnium gentium Patribus sæcularem in Ecclesiis cætum inculcantibus manifesto produnt toti orbi Catholico communem hanc fuisse disciplinam. Tertullianus ad Uxor. l. 2. c. 4 *de nocturnis convocationibus* meminit, iis nimirum, per quos publice in unam convocarentur ecclesiam Christiani omnes. Hieron. ad Eustoch. de Custodia Virg. *Noctibus bis, terque*, ait, *surgendum, & revolvenda, quæ de Scripturis memoria tenemus*, & ad Demetriadem enumeratis aliquot divinarum precum horis, subdit,

ad Vo-

ad Vesperam, media nocte, & mane semper est exercendum, Ambrosius *simul ad orandum nobis surgendum est, & conjunctis precibus obsecrandus Deus:* & in Psal. 118. morum regulas subjiciens fidelibus laicis indixit, *non satis esse diem ad precandum, surgendum esse nocte, & media nocte, quia,* sequitur, *ipse Dominus pernoctavit in oratione, ut te proprio ad deprecandum invitaret exemplo.* Chryſ. hom. 26. in Act *Ecclesia Dei mediis surgit noctibus; surge & tu ... Ad viros & mulieres mihi sermo est, flecte genua, ingemisce, ora.* A Cæſario Arelatenſi Epiſcopo decretum accepimus, ut populus ne dum publicæ intereſſet orationi, ſed pſallentem vocem Cleri cantibus inſuper adderet, ne vaniloquio pateret via. Sic ejus vitæ Authør. *Voluit vero, atque etiam compulit laicos, & sæculares homines Psalmos, & Hymnos pro more, altaque, & modulanti voce decantare.* Narrat Greg Turron. *De Gloria Martyr:* l. 2. aſpere actum cum muliere, quod conveniente ad nocturna officia populo, ipſa ad Eccleſiam non conceſſiſſet: *Dum Sacrosanctis Vigiliis populo fides devota concelerat, increpita est mulier, cur, reliquis, nocturnas excubias Deo exhibentibus, illa deesset.* Hæc de nocturnis. Ad diurnos conventus accedamus, quos non minus a plebe frequentandos fuiſſe produnt Patres. A Cypriano *de Orat. Domin.* quem ſupra retulimus, docemur Fideles omnes maxime ad diurnas orandi horas obligatos eſſe. *Mane,* inquit, *orandum est, ut Resurrectio Domini matutina celebretur oratione.* Baſil. ep. 73. *Illucescente jam die, pariter omnes velut uno ore, ac corde uno confessionis Psalmum Domino offerunt.* Quinquageſimo quinto de temp. inter plures Auguſtino jam adjudicatos ſermones præcipitur omnibus divinorum officiorum frequentia: *Ad Vigilias maturius surgite, ad Tertiam, Sextam, Nonam ante omnia convenite. Nullus se a Sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut forte certa, & grandis necessitas tenuerit occupatum.* Ambroſio degener erat a rationalis naturæ præſcripto, qui diem claudere non iteratis precibus paſſus fuerit. *Quis enim,* ait l. 5 Hexam. c. 12. *sensum hominis gerens non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere?* & in Pſalm. 118. exploratam ſupponit & perſuaſam cunctis per diem orandi neceſſitatem, cum ad nocturnum orationis exercitium cal-

car

car addit populo. *Non satis est ad precandum dies, surgendum est nocte, & media nocte*. Si fidem demus Auctori vitæ Cæsarii Arelatensis Episcopi, quam sæculo primo Benedictino inseruit Mabillonius, decrevit Cæsarius ut non intermisso cursu canerentur in Ecclesia Tertia, Sexta, Nona: & ante suam ætatem idem præscriptum ab Injuroso decessore suo testatur Gregorius Episcopus Turronensis l. 10. *Hic* (Injuriosus) *instituit Tertiam, Sextam in Ecclesia dici, quod modo in Dei nomine perseverat*. Prætereo alia, quæ præ manibus sunt, quæque congerere facillimum esset, nisi vererer legentium ex nimia prolixitate fastidium: præterire tamen non possum eximiam Petri Damiani viri pietate, ac eruditione conspicui sententiam, qui licet decimo primo sæculo floruerit, cum jam fere in desuetudinem abierat primus fervor, nec quis laicorum religioni sibi dabat vacare horarum recitationi; tamen S. Vir primævi rigoris legi subactos adhuc Laicos omnes sentiebat. Sic in Colloquio, quod Ravennæ habuit cum nobili viro mentem suam aperit. *Tandem ad hoc processit oratio, ut assererem canonica septem horarum officia ab omnibus Christianis fidelibus quotidie Deo, quasi quodam servitutis pensum debere persolvi*.

Illud permirum videri potest, & debet remotissimos Orientis Christianos longinquitate locorum non minus, quam Schismatici spiritus diversitate a vera fide dissitos per tot annorum seriem tenaciter adhæsisse antiquæ primorum fidelium pietati, & tam ante, quam post abjuratum schisma primævi rigoris vestigia, unde Occidens erubescat, semper spectanda exhibuisse. Oculatus testis P. Hieronimus Dandini in suis ad montem Libanum itineribus refert plebem juxta ac presbyteros ejus regionis, nempe Maronitas semper adesse Psalmorum cantui in Ecclesiis, & laicos canentes Sacerdotes cantu suo prosequi. En ejus verba latine donata. *Officiis Canonicis plebs interest perinde ut Presbyteri. Cuncti una voce horas concinunt. Nocte media ingens semper advolat Laicorum numerus*. Ac ne quis ambigat hanc præsentiam concedere in sensum primorum fidelium, quibus persuasum erat id oneris Laicis cum Clericis eadem Religione esse commune; addit eruditissimus Author notarum ad hunc locum Dandini

his

his alio idiomate æquivallentia. *Retinent etiam nunc Maronitæ veterem consuetudinem officii canonici in Ecclesia canendi, nec aliquis unquam sibi abesse licere putat; ita enim laicis persuasum est, non minus ipsos teneri adesse, quam clericos.* Idem alii perhibent de Cophtis, cui genti nomen accitum ab urbe Cophto ad sinum Arabicum juxta Strabonem olim sita: vocitant etiam Christianos Ægyptios, quod in Æygpto maxime degant. Horum igitur laici, si qua fides eorum Scriptoribus, obligantur divini officii recitationi eadem necessitate, qua eorum Clerici adstringuntur. *Eorum scriptor quidam* ait Vanslebius p. 2. c. 16. *confirmat æque laicos, Clericosque obligari eadem necessitate recitandi officii Canonici.* Ab hac Religione nequidquam abhorrent Christiani vulgò S. Thomæ ita dicti, quod primum Evangelico lumine ab hoc Apostolo donatos fertur. Promiscue Laici, ac hujus populi Clerici una in sacris ædibus diurnas horas Chaldæa lingua persolvunt eo animi, vocisque habitu, ut testimonium dantibus, qui peregrè oras illas inviserunt, ne ipsis quidem nostræ professionis Monachis se se exhibeant inferiores.

C A P U T V.

Monachos ab initio semper horarum Canonicarum preces frequentasse pluribus suadetur. Jugis Psalmodia solemnis fuit multis Galliæ, Angliæ, & Sabaudiæ Cænobiis. Neque Virgines Deo sacræ unquam ab hoc onere fuerunt immunes vel in paternis ædibus, vel in publico conventu solemnem emiserint professionem.

NIhil est quod ad exactam trutinam monastici instituti primordia hìc revocemus; vel cum reddita per Constantinum Ecclesiæ pace illuxerit orbi Catholico id Angelicæ in terris vitæ genus; vel furentibus adhuc Tyrannorum persecutionibus inter impervia solitudinum delituerint Monasticæ professionis incunabula. Alterius instituti labor sit hoc invenire. Versant hanc quæst. acri inter se litigio dissidentes recentiorum calami: versavit olim & Bethlemiticus Doctor, nec

altiora Angelici propositi jecit fundamenta, quam a Pauli, & Antonii ævo. *Inter multos sæpe dubitatum est*, sic in Pauli vita, *a quo potissimum Monachorum eremus habitari cœpta sit ..... Alii; in qua opinione vulgus omne consentit, asserunt Antonium hujus propositi caput fuisse, quod ex parte verum est*. Quod in hoc capite demonstrandum suscipimus est cum monasteriorum origine simul & communem horarum canonicarum usum sua traxisse inter Monachos primordia; nec usquam effloruisse Monachorum cænobia, in quæ primitus non invaluerit commune Psalmodiæ exercitium. Possem hanc veritatem ex presenti Monasticæ disciplinæ norma suadere, apud quos & si plura primævæ observantiæ aboleverint exercitia, illud communiter orandi tamen ab omni tepore quolibet sæculo superfuit immune: imo decrescentibus aliis, chori frequentia adeo crevit præsertim a non admodum elapsis sæculis, ut quam plures sancti viri super hoc conquesti sint: & jam Venerabilis Potho sub finem l. 3. non modicum in protractas orandi horas invehebatur, veluti aliquam regularis observantiæ afferentes enervationem. Possem pariter idem illustrare sigillatim recensendo monasteria, diversæque professionis Monachos, in quibus per non interruptam sæculorum seriem floruit a majoribus accepta hæc praxis, sed hoc omittere satius est, longum quippe nimis esset hoc agere, & satis apertum fit in testimonium accersenti Monasticam historiam.

Neque hic repetendum Chori frequentiam ita Religiosæ professionis peculiarem esse, ut non modo Monachis, sed & reliquorum ordinum alumnis sectandam esse decreverint sanctissimi novorum cætum in Ecclesia Institutores. Consulite regulas omnes, & praxim quorumcumque Mendicantium Religiosorum, atque Regrularium clericorum; vix unus, aut alter occurret Ordo, qui huic penso sanctissime non fuerit, & non sit addictus. Et quidem vix prima Ordinis sui jecerat Rivotorti fundamenta S. P. Franciscus; ab Abbate Monachorum D. Benedicti Ecclesiam S. Mariæ de Portiuncula dictam exoravit, *ubi*, referente Spec. Vitæ c. 55. *fratres possent dicere horas suas*. Patriarchæ Dominico antiquissimum item hoc fuit, & in Regula ab eodem suis præscriptum nemo ambigat,

qui

qui maximè noverit ipsius præscripta fuisse Augustini, quam ipse jam profitebatur, Regulam, cujus 6. & 7. capite Psalmodiæ usus legitur præscriptus. Quid quod cum a publica hujusmodi oratione de integro institutam Jesu Societatem eximeret Patriarcha Ignatius; inde procellas, & suspiciones non leves contra exoriens institutum quam plures viri etiam doctrina, & pietate insignes concitarunt, ac pro virili S. P. Pius V. laboravit, ut apud Societatem obtineret tandem chori frequentia, quemadmodum apud alias Religiones vigebat: quin fertur ante Pium Societati præscriptus horarum canonicarum cantus a Paulo IV. per Cardinalem Neapolitanum anno 1558, & proinde in Romana, & Olisipponensi domo etiam divino penso modulando vacasse aliquandiu P. P., licet deinde res ad Constitutionum Societatis edicta iterum devenerit: ita annuentibus P.P.M.M. & exigentibus occupationibus, quas ad animarum auxilium, ad juventutis institutionem, ad miserorum levamen frequenter assumit Religiosissimum Institutum. Quamobrem etiam huic oneri publicè obnoxios optimo jure suos noluerat S. P. Ignatius, ut liquet ex p.6.c.3.§.4.

His itaque omissis; Patrum testimoniis res primum fiat explorata, qui mentionem habentes de primis Monachorum conventibus, simul referunt inter hos datam Psalmodiæ communem operam. Constat ex vita Divi Pachomii a Dyonisio Exiguo latine conscripta sanctissimo viro meditanti, quam circa orationem præscriberet Monachis suis regulam, apparuisse Angelum monentem, ut ter in singulos dies duodecim Psalmorum repetitam injungeret recitationem; quod & prestitit. Primus autem ad perfectionis culmen monachalem statum redegit Pachomius maxime in Tabennæ Thebaidis insula circa annum 350., eoque incolarum numero auxit Cænobiorum frequentiam, ut Divus Hier. in Prologo in Regulam Sancti Pachomii quinquaginta Monachorum millibus præfuisse tanquam Generalem Pachomium afferat, dissentiente tamen Palladio, qui septem duntaxat Monachorum millia numerata fuisse in Ordine Tabennæ sub Pachomio opinatur.

Nec dissimilia habet Cassianus loquens de Monachis Thebaidos, & Ægypti. Narrat enim Angelica visione sedatum

fuisse, quod inter eos fuerat de Psalmorum numero exortum dissidium, cantatis ab Angelo duodecim Psalmis, dum officia erant auspicaturi, ut instruerentur hunc numerum cælitus divino officio destinari, huncque imposterum esse observandum, ut rapse *tam in nocturnis, quam diurnis conventibus*, servatum ab iisdem fuisse testatur idem Cassianus de *Can. Nocturn. Orat.* l. 2. c. 5. & 6., qui etiam c. 8. ejusdem libri descriptam nobis exhibet servatam antiquitus in Monasteriis, consuetudinem persolvendi officii. *Vigilias*, inquit, *tripartitis distinguunt officiis &c. .... stantes Antiphonas tres concinuerunt, humi post hæc, vel humillimis sedibus insidentes tres Psalmos, uno modulante, respondent: & his sub eadem quiete residentibus ternas adjiciunt Lectiones.*

Basilius in Regulis, quas pro Monachis exararat Psalmodiam inter præcipuam Monachorum operam injungit, ejusque persolvendæ rationem describit, de quo ritu multis conquestis, quasi priscum adulterasset psallendi morem, respondet in Epistola ad Clericos Neocæsarenses diserte affirmans antiquissima Monachorum Ægypti, Palæstinæ, & Mesopotamiæ vestigia se in hac institutione secutum. Ab ævo ergo Basilii, & multo ante in Monasteriis officiorum cantus frequentabatur, & subinde ipsis Monasticæ vitæ primordiis, cum Basilius circa medium quartum sæculum, illa initio quarti florere cæperint.

Circa annum 358. visitatis Ægypti, Asiæque Anachoretis, in solitudinem Ponti se receperat Basilius, ubi cænobio instructo accersivit comitem Gregorium Nazianzenum, quocum jam a studiis magna erat necessitudine conjunctus: deinde rerum spiritualium cura à Monasterio divisus Gregorius certiorem facit Basilium de voluptate, qua afficiebatur in obstrusis Ponti locis vacando piis Monasticæ disciplinæ exercitiis. Hæc autem inter exercitia primum memorat Deum per Psalmos laudandi morem. *Quis Psalmodias*, inquit, epist. 13., *illas, & Vigilias dabit, & quis diurnas operum vices, & labores? Quis lignorum compotationes, & lapidicinas? Quis arborum?*

Quamvis Athanasius in vita D. Antonii primi post Paulum Monastici instituti per orbem Catholicum propagato-

ris

ris alto prætererit silentio ejusdem Antonii regulam, quam deprecantibus Monachis ex Cænobio, cui nomen *Nicalon*, conscripsit S. Abbas, tamen Antonius regulæ fuit author, eaque huic a multis adjudicata; omniumque vetustissima legitur inter veteres Monasteriorum regulas, quas D. Benedictus Anianensis collegit. Illud præ reliquis Discipulorum cœtui inculcat in hac Regula Antonius, ut singuli noctu orent in suis cellulis, antequam ad communem habendam in Ecclesiis orationem properent; monens præterea c. 20. Monachorum quemque, *ne petat ecclesiam, ad quam congregantur homines*, juxta alibi in eadem regula unicuique præscriptum: *Sæculari nullo modo commiscearis*. Ex quibus colligitur aperte, vel ab eorum origine monachis peculiare fuisse proprias habere Ecclesias, ubi Psalmodiæ indulgerent. Ab Antonio vere emanasse hanc regulam suadet consensus Monachornm Ægypti, qui ad hæc usque tempora eidem adhærerere profitentur, quo authore gloriantur etiamnum Montis Libani Solitarii divinorum officiorum frequentiam agnoscentes inter præcipua regulæ capita a Sanctissimo viro suæ professionis hominibus indicta. Alexander Monachus apud Baron. ad annum Christi 485. jussu Zenonis tunc rerum summa in Oriente potientis testatur erectum Cœnobium eodem in loco, ubi sacra Apostoli Barnabæ Lipsana fuerant inventa, illudque Monachis ad persolvendum Canonici Officii pensum consignatum: *ut qui divina officia in templo Monachi celebrarent, in illis cellis habitare possent*. Ante id ætatis, nempe circa sæculi IV. dimidium, in monte Sina incoluisse proditur Anachoretas, qui per dies festos in unum prima diei hora conveniebant ad divina officia decantanda. Illustrius est, quam ut ulla memoria augeri possit nomen Alypii Stylitæ, qui sæculo VII. sanctitate inter omnes solitarios enituit. Trium Religiosorum cœtuum institutio huic debetur, quorum unus ad columnam ab Alypio pro cella jampridem delectam habitans cum eodem divinum cursum percurrebat, ut testatur Bulteau l. 4. Hist. Monast. Orientis c. 20. De eodem Alypio in vita S. Augendi, vulgo Augendi hæc legimus: *Cum ultra sexagennariam ætatem sex ferè mensibus prædictus Pater inæqualitate corporea laboraret, sic tamen,*

men, quod nunquam canonico usque ad horam nonam cursui defuisset.

A Hieronimo numeris omnibus absolutus Monachus instituitur in Epist. ad Rusticum, eique, ut perfectionem Monasticam assequatur, in primis præcipit S. Doctor Psalmorum recitatione persungi. *Dicas Psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur.* Porro dulcedinem vocis heic ablegat Hieronimus, non quia aliquem vocis concentum tum temporis non obtinerent publicè peracta horarum officia, sed quia nondum apud Monachos abierat in desuetudinem antiquissimus ritus ut, uno psallente, cæteri silentio, & maximo menti affectu orarent: quem ritum diligentissimus Monasticæ Disciplinæ in Oriente indagator Cassianus ætate quoque sua perseverasse, nimirum sæculo Hieroniminiano subsequenti, prodit c.7. citati jam l.2. de *canon Noctur. orat.*

Divinæ Psalmodiæ in privatis oratoriis sedulo incubuisse monachos sui temporis fidem facit Pontius Paulinus Nolanus Episcopus, qui labente sæculo quarto claruit, in epist. ad Vict. Rhotomagensem Episcopum. *Ubi*, inquit, *quotidiano sapienter psallentium per Monasteria secreto concentu, castissimis ovium tuarum, & cordibus delectantibus, & vocibus*, & sequentis sæculi Author Sidonius Apollinaris epist. 17. libri 5. *Cultu*, ait, *peracto Vigiliarum, quas alternante dulcedine Monachi, Clericique Psalmicines concelebraverant, quisque in diversa secessimus, presto ad Tertiam futuri, cum Sacerdotibus res divina facienda.*

Ferè convenit inter Eruditos licet Augustinus, Chrysostomus, Basilius, & Nazianzenus Gregorius numquam monasticam emisserint professionem: tamen omnes diuturnam duxisse vitam inter sanctissimæ solitudinis exercitia, ut Basilius, & Gregorius in remotis Ponti regionibus, Chrysostomus apud Antiochiæ recessus, nec non in Africæ desertis Augustinus; atque ab omnibus pariter vel originem traxisse multa monasteria, vel suis regulis ad monasticam vitam informasse multos, qui in Oriente, atque Occidente ad tutum Religionis portum convolabant. Constat autem Sanctos Præsules communi calculo affirmasse sibi inter solita-

litarios commorantibus nihil magis fuisse commune, quam divinas laudes per Psalmos decantare. De Basilio, & Greg. diximus supra; de Chrysostomo refert Palladius, sive alius Chrysostomi vitæ autor; de Augustino item ejus vitæ scriptor Possidius c. 3. *Veniens ad agros suos, & in iis constitutus fermè triennio, nec non à se abdicatis curis sæcularibus, cum iis, qui ei adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonisque operibus in lege Domini meditans die, ac nocte.* Quæ in hac Africæ solitudine probabantur Augustino pietatis exercitia, accepisse ante à Monachorum familiaritate S. D. scribit idem Possidius, eaque ut indefessè sectarentur Discipuli, autor fuit in suis Regulis: quod idem præstitit Basilius, & commendatum legimus a Chrysostomo in libris, in quibus de Religiosa vita disseruit aureus Doctor.

His accedit vetustissimum Synodi Braccarensis decretum sexto sæculo in Braccaræ Gallitiæ Metropoli celebratæ c. 2. *Placuit omnibus communi consensu, ut unus, atque idem psallendi ordo in Matutinis, vel vespertinis officiis teneatur; & non diversæ, ac privatæ, neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ.* Habebant ergo sibi peculiares consuetudines tum temporis monasteria in divinorum officiorum celebratione, & subinde huic penso vacabant publicè Monachi; cum Patres hujus Synodi vetent ne quid ex Monasticis institutis imposterum in Sæcularium Clericorum officia derivet. Meminerunt insuper præter alia multa de divinis officiis intra monasteria celebratis c. 59. Concilii Cabilonensis, & l. 1. Capitularium Caroli Magni, & Ludovici Pii, quæ studio Stephani Baluzii nuper exactissima editione prodierunt. Hæc habet cap. 74. *Monachi ut cantum Romanum pleniter, & ordinabiliter per Nocturnale, vel Graduale officium peragant, secundum quod Pipinus noster Genitor decertavit ut fieret.*

Alterum nobis prebeant hac in re argumentum exempla sanctissimorum virorum, qui ex umbraculis monasticæ vitæ ad Episcopalem trhonum sublimati religioni sibi dabant vel latum unguem a Monachali instituto recedere. Quem manuum laborem, ciborum neglectum, vestitus asperitatem communem habuerant in monasterio, retinebant infulæ honore

nore insigniti, sed præ omnibus frequentem Psalmodiam; eamque eo tempore, eo ritu, ea aliquando prolixitate, quæ Monasticam redoleret disciplinam. Testes hujus veritatis accersere possem quotquot ab ipso Asceticæ vitæ initio ad Episcopalia jura moderanda fuere evecti Cœnobitæ, quales ex Antonii Asceterio Draconcius, Serapion, Agaton, Ammon &c. quales ex Abbatis Isaaci Cœnobio in vita Chrysostomi memoratis; quales complures ex Pachomii monasterio, quos adhuc in vivis renuntiatos Episcopos vidit Sanctus Parens; sed his, aliisque ex Occidente silentio datis, appello ad Martinum Turonensem, Faustum Regiensem, Germanum Antisiodorensem, Hilarium Arelatensem, Athanasium de se ipso Apol. *ad Const. de fuga sua*, perhibentem se Alexandrino jam solio potitum Ariano furori ereptum per Monachos, dum cum iis noctu divinas laudes in Ecclesia persolvebat, & Fulgentium Rupensem Episcopum, de quo in ejus vita scribit Ferrandus inter Episcopalis honoris culmina claustri vitam, & exercitia non oblitum, sed suos insuper clericos monachali instruentem disciplina ad communem Psalmodiam induxisse. *Similitudinem magni cujusdam Monasterii Monachis, & Clericis adunatis sapienter effecit. Erat quippe eis communis mensa, commune Cellarium, communis oratio simul & Lectio*. Vides hic Ferrandum ex communi oratione arguere similitudinem Monasterii in sede Fulgentii. Adeo hæc Monasticarum communitatum commune erat ornamentum. His adde quod de Abrahame a solitudine ad Episcopatum translato habet Theodoretus Hist. l. 4. c. 17. *Quadraginta noctes alternas Hymnodias explebat interjectarum precum mensuram congeminans*.

Quandoquidem in argumentum ab exemplis petitum incidit oratio, in medium tanquam rei veritati oppotuniora traducantur aliquot Monasteria peculiari cantandi ritu præstantiora, ut inde liqueat reliquorum institutum: si enim monasteriis quibusdam perpetua erat Psalmodia, numquam profecto fas erit præsumere aliquod fuisse, in quo nulla hora communiter psallendi vigeret consuetudo: vel melius licebit exinde conjicere horum cœtuum fundatores pro summo æstu pietatis non modo secutos, sed longe primorum Mona-

Monachorum prætergressos fuisse, quam viderant usitatam in aliis psallendi consuetudinem. Primus perpetuæ Psalmodiæ autor communiter audit Alexander Acmerarum Monachorum in Oriente institutor. Hic Cœnobio erecto prope Euphratis oras brevi ad quadrigentos ex Græcis, Latinis, Ægyptiis, atque Syriis obtinuit discipulos, quos in plures turmas ita divisit, ut una alteri nunquam interrupto ordine succederet ad divini officii cantum, sicque jugem Psalmodiam triennio a Cœlo exoratam stabilivit. Hinc per discipulos ad multa Syriæ loca permeavit novum id continuæ psalmorum recitationis inventum, perque ipsum Alexandrum in imperialem urbem, ubi Monasterium instruxit tercentum Solitariis auctum, quos in sex Choros distributos ad jugem orationem alternatim destinavit. Suas nacta est procellas pia hæc institutio, suos usque ad carceris discrimen habuit æmulos Alexander. Sed cœlitus tradita norma, & destinatus autor, cœlitus tempestatem, atque periculum evasit. Nulla introducto ritui illata mutatione.

Agaunense in Vallesia ante annum quingentesimum constructum Cœnobium similem fuit sortitum Psalmodiam: eam Sigismundus Burgundiæ Rex pœnitentia interfecti filii ductus invexit primus, diuque perseveravit; sed quod usuvenire solet lapsu temporis, atque habitatorum diversitate exolevit vetus consuetudo. Primi incolæ cum Monastica vita peculiarem D. Severini Abbatis regulam profitebantur. His successerunt, & etiam num inhabitant Clerici Regulares Ordinis D. Augustini, qui communi Psalmodia chorales functiones exercent. Id genus multa fuisse in Thebaidis insula autor est Rufinus in viris Patrum. Reliquis præstabant frequentiora passim quam domus in urbe Oxyrincho cœnobia, ubi omnibus diei, noctisque horis laudum divinarum personabant ex ore Monachorum cantica, quos decem millium attigisse numerum testabatur ejusdem urbis Episcopus.

Circa tempora Caroli Magni incidit fundatio celebris Abbatiæ Centullensis. Quo hæc nobilitaretur Monachorum numero, qua puerorum institutione, quo virorum Principum ad studiorum cursus conventu, non est hujus loci referre. Præcipuum tamen ejus ornamentum, de quo hic, erant con-

tinua divinarum precum exercitamenta. Dividebatur in tres turmas tota Monachorum caterva, centennis singulas Monachis, & triginta tribus pueris constitutas, ita ut primæ recedenti ab officiorum cantu succederet secunda: huic tertia; deinde quæ fuerat prima rursus ad assignatum laborem pergeret locum alterno ordine aliis datura. *Tercentos Monachos regulariter victuros constituimus centum etiam pueros scholis erudiendos sub eodem habitu, & victu statuimus, qui fratribus per tres choros divisis in auxilium canendi & psallendi intersint.* Sic ejusdem Abb. Chronicon l. 2. c. 11. Alia fuerunt in Galliis Monasteria, ubi per alternas turmas interdiu, & noctu divinæ laudes, Psalmique concinerentur. Tale fuit Luxoviense cœnobium D. Columbani erectionem sequutum, & regulas, de quo sic loquitur Bern. *Succedentibus sibi invicem choris, continuabantur solemnia divinorum; ita ut nec momentum quidem diei, ac noctis vacaretur a laudibus.* Tale S. Dyonisianum prope Parisios Regia institutione ad jugem Psalmodiam destinatum. Tale Cabilonense S. Marcelli, Habedense, & Lugdunense S. Salebergæ. Neque solius Galliæ, sed & Sabaudiæ in Monasterio S. Mauritii, & Angliæ felicitas fuit perennem audire inter Claustrorum septa divinarum laudum recitationem. Author enim est Beda Hist. l. 2. c. 2. missos a Magno Gregorio Monachos ad fugandas Idololatriæ tenebras, quibus Anglia miserum in modum offundebatur, adeo elaborasse in diffundendo Evangelico semine, ut fidei catholicæ; & puritatem morum ibidem restituerint non modo, sed etiam plura fundarint cœnobia, inter quæ Bancoriense bina, & ultra Monachorum millia complectens, qui in septem Choros distributi alternis vicibus, numquam intermissam prosequerentur Psalmorum celebrationem.

Nunc adjungenda sunt ea, quæ disciplinam ipsam in Monasteriis Virginum Deo sacrarum ab earumdem initio viguisse apertissime ostendant. Non abs re tamen heic erit innuere Monialium claustra suam quidem traxisse originem cum Monachorum cœnobiis, at longe anteriorem fuisse Virginum in Ecclesia professionem, quam istarum fuerit in Monasteriorum septis conventus: nam præter Apostolorum ad Cor. 1. Pri-

morum

morum Ecclesiæ Patrum Ignatii, Clementis, Cypriani, ac Tertulliani verba hoc in argumento adeo dilucida sunt, ut neminem in aliam sententiam abire permittant. *Ad Uxorem* l. 1. scribens Tertull. *Deo*, inquit, *sunt puellæ, cum illo vivunt, cum illo sermocinantur, illum diebus, ac noctibus tractant .... jam in terris non nubendo de familia Angelica*: Et Cypr. de habitu Virg. *Nunc nobis ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria, major & cura est*. Sed de his longe antiquior Ignatius, qui Antiochenam regebat Ecclesiam in vivis adhuc Paulo Apost. agente, audiendus: *Saluto*, inquit Epist. ad Philaldephienses, *collegium Virginum, & cœtum viduarum*. Quod si Ignatianæ hujus Epist. vacillet fides, quemadmodum probant argumenta a P. Nicolao le Nourry in suo Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum S. S. P. P. adducta; non ita vero vacillat ex communi Criticorum calculo contra Salmasium, aliosque Hæreticos illius Epistolæ fides, quam S. Pater dedit *ad Smirnæos*, & in qua mentionem pariter habet de Virginibus scribens: *Saluto eas, quæ in perpetua degunt Virginitate, & viduas!*

At vero ubi sub piissimo Principe Constantino persecutionum tempestas, parta Ecclesiæ pace, deferbuit: ut virorum, ita & fœminarum per varias mundi Provincias erecta fuerunt cœnobia, promovente tantum pietatis opus ipso orbis Rectore Constantino, qui teste Sozomeno præmiis etiam ad capessendam Monasticam vitam alliciebat utriusque sexus fideles. Primum in Oriente floruit Angelica institutio; quo enim tempore Antonius, & Pachomius pro viris jaciebant fundamenta, eodem utriusque sorores habitare cœperunt monasteria multis præfectæ puellis, que in tutissimum salutis sinum confugiebant: *Protinus imperat* (Pachomius) *religiosioribus fratribus, ut ei*, (Pachomii nempe sorori) *procul a se Monasterium construant. Convenerunt ad eam aliæ plurimæ, & brevi tempore magnæ multitudinis mater effecta est*. Hæc ex c. 28. vitæ Pachomii. Idem refert Athanasius de Antonii Germana in ejusdem S. Abbatis vita. Multa a Basilio fundata fuisse Virginum cœnobia scripsit fidus ejusdem Basilii Achates Greg. Nazianzenus. *Quis igitur magis quam Basilius aut Virginitatem coluit, aut carni legem imposuit? cujus sunt Virginum*

Cœnobia? cujus præcepta illa litteris mandata? Simul cum Monachis pervasit pariter in Occidentem commune hoc pro Virginibus vivendi genus. Egregium hujus initii testimonium suppeditat Hieron. in Epitaphio Marcellæ. *Monasteriorum in Thebaide Pachomii & Virginum, ac Viduarum Romæ didicit disciplinam; nec erubuit profiteri, quod Christo placere cognoverat.*

Cum viris itaque etiam Virginum constitutis Cœnobiis, eadem fuit utrisque horarum Canonicarum lex. Hieronymus locupletissimus hac in re testis in Epitaphio Paulæ de triplici illo Virginum examine, quod Paulæ debebat institutionem, hæc habet. *Mane hora Tertia, Sexta, Nona, Vespere, Noctis Medio per Ordinem Psalterium canebant, nec licebat cuiquam sororum ignorare Psalmos.* Aug. epist. 109. Monialium explicans regulas. *Orationi*, ait, *instate horis & temporibus constitutis.* Ambros. l. 1. de Virg. *Nunc Canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent.* Theod. Hist. Relig. c 30. *Ducentæ & quinquaginta, aut eo plures, pauciores que, una degunt, uno cibo vescentes super storeis solis dormire solitæ, & Manus quidem lanificio exercentes, linguam vero Hymnis consecrantes.*

Ad hæc plura Cœnobiorum exempla, in quibus divinus hic cultus apud Virgines non minus, quam Monachos enitebat. Greg. Nissenus t. 2. p. 184. in Monasterio ad urbem Iboram, cui ejusdem soror Macrina præfuit, narrat: *perpetuum precandi studium, & assiduam Psalmorum decantationem, quæ nec die, nec noctu intermittebatur, effloruisse.* Divino incumbebant officio Moniales in Arelatensi monasterio sub Cæsaria sorore S. Cæsarii Archiep. Arelatensis degentes, a quo & Regulam acceperant. Item viginti ea Virginum millia urbem Oxyrinchum numerosa multitudine implentes, de quibus meminerunt Rufinus in Vitis Patrum. Sicut etiam alia innumera passim obvia in Religiosa historia, quæ recensere, ut in promptu esset, ita & prosequi fastidium lectoribus in re satis nota ingererent. His tamen omnibus præire debuisset exemplum pervetusti monasterii D. Febroniæ sub Diocletiano Martyrii palmam consecutæ, ubi prima occurit mentio de publica inter moniales officii recitatione. Platonidem ferunt sanctis-

ctiſſimam fœminam fundamenta, & leges huic monaſterio dediſſe. Surius, & Bollandiſtæ in vitis Sanctorum menſis Junii, jam ab eo tempore uſitatam horarum recitationem in hoc Aſceterio argumentum præbent, referentes degentibus ibi Virginibus a Platonide hanc inter reliquas conſtitutam regulam. *In Oratorio congregatæ maneant poſt expletum Pſalmodiæ curſum &c.* & ad finem ſermo occurit temporis Nonæ, quo urgente Præpoſita Cœnobii ad orationem invitans Febroniam his eam compellat: *Febronia adeſt tempus orationis: veniet ipſa Filia nobiſcum aſſiſtens*. Huic inquam prior dandus erat locus. Sed cum hujuſce monumenti fidem in dubium revocent communiter emunctioris naris Critici, & refragentur S. S. Patres tantam antiquitatem a monaſteriorum origine amandantes; ideo incertum certis argumentis poſtponere viſum eſt.

Conſentiunt Conciliorum decreta. Cabilonenſe enim II. & horas, & horarum numerum a Monialibus perſolvendum exprimit, atque injungit c. 59. *Sanctimoniales in Monaſterio conſtitutæ habeant ſtudium in legendo, & in Cantando, in Pſalmorum celebratione, ſive oratione, & horas canonicas. Matutinum ſcilicet Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſpere, atque Completorium pariter celebrent*. Hæc pauca ex antiquitate delibaſſe ſufficiat ad ſtabiliendam antiquam conſuetudinem, quam nemo huc uſque in dubium vertere auſus eſt, & pro qua ſatis fuiſſe communem tum antiquorum, tum recentiorum afferre conſenſum, nec non ipſa quarumlibet ſacrarum Communitatum judicia. Nullam enim eſſe puto, cui primævæ religioſæ vitæ, atque majorum ſuarum in Chori frequentia perſuaſum non ſit ſequi veſtigia, & per ſacram profeſſionem ad pium illud exercitamentum deſtinari, ad quod primæ Monachalis inſtituti puellæ, vel mulieres deſtinabantur.

Hæc autem obligatio tanto rigore afficit communitatem, ut vel una die publicam intermittere recitationem grave piaculum ſit Doctorum omnium catervæ, ſicut unius horæ, & aliquando unius Pſalmi omiſſio de tali crimine ab iiſdem accerſitur. Hinc à multa annorum ſerie factum puto, ut conſecrandis Virginibus exhibeat Eccleſiaſtico ritu Epiſco-

pus,

pus, vel Sacerdos Breviarium contrectandum apertisque etiam verbis ineluctabilem obligationem indicat. Hinc pariter Doctores a gravi culpa non eximunt monialem voto Religionis se obstringentem; si publice decantandis horis vel impar sit, vel inerudita: ad quod munus idcirco supra reliqua professionis munera, & ante, & ipso Tyrocinii anno initiandas religiosis votis, erudiri praxi testatissimum est. Porro quam id temporis labem offenderent ad Chorum negligenter accedentes cum Religiosi, tum Moniales ad chorum destinatæ, consulendi conscientiarum arbitri scriptores hac de re fusè tractantes.

CAPUT VI.

Posita consuetudine recitandi divina officia, omnibus Clericis, & Laicis hac olim in Ecclesiis publicè ab utrisque persolvebantur. Nullam fuisse Ecclesiam, nullum antiquitus Clericum ab hac lege immunem ostenditur ex Patribus, Conciliis, aliisque veteris Disciplinæ capitibus.

PRimorum fidelium pietatem consulenti, & fervorem liquebit nihil magis in eorum votis fuisse quam Apostolorum doctrinæ auscultare, eorumque sequi vestigia; Ideoque cum Apostolos Psalmorum cantui statuto in loco una sæpe vacasse cum conversis ad fidem, & ad eorumdem conventum a Paulo frequenter hortatos Colossenses, & Ephesios perspectum haberent, ad se quoque illud exemplum pertinere, & ab exemplo legem sibi impositam putabant. Hinc neminem ab onere conveniendi cum aliis ad templum eximebat primorum temporum conditio, nisi grave obstitisset impedimentum. Jubebant, quæ vulgo Apostolis adscribebantur, Constitutiones, ut fideles cuncti Mane, Tertia, Sexta, Nona, Vespere, atque ad Galli cantum in Ecclesia precationes facerent, cumque identidem ab Ethnicis excitarentur tum temporis sævæ contra Ecclesiam persecutiones, ne quid in sacras preces ex hoc lapide derivaret obstaculum, cautum ibi est, neque metu infidelium his congregationibus parcen-

cendum esse, sed secreta aliqua in domo, ita ut obviam iretur discrimini, peragendam esse Psalmorum recitationem. *Si ad Ecclesiam prodire non licuerit propter infideles; congregabis Episcope in domo aliqua privata*. Porro & si ut alias diximus, non ab Apostolis hæ fuerint profectæ Sanctiones, in hoc tamen suffragium venari ab iis licet, quod legem antiquitati sacram, ac vulgo Apostolis relatam exposuerit ibi ignotus auctor. Idem probant Acta S. Pontii Martyris tomo 2. Miscellaneorum Baluzianorum, ubi Christiani *in domo alta*, divinas laudes persolvisse memoratur; nec non Acta S. Justini Martyris apud Ruinartium, in quibus interrogatus à Præfecto Justinus, quo ad preces coirent Christiani, respondit: *An existimas omnes in eumdem locum convenire solitos? minime ita se habet*. Aliis, uti diximus c. 1. furente persecutorum tyrannide, cœmeteria fuisse loco templi ad Psalmorum recitationem, argumento sunt præterea, quæ nobis supersunt antiquitatis Monumenta, Apostolicæ Constitutiones l.6.c.29., & Eusebius Hist.Eccl. l.9.c.2. Assertis vero Christianorum in unum ad orandum publicè conventibus, antiqui Patres suum adjiciunt calculum. Horum agmen ducat Ignatius Martyr Epist. 6. ad Magnesianos. *Omnes*, inquit, *ad orandum in idem loci convenite; sit una communis precatio, una mens, una spes*, & paucis interjectis subdit, *Omnes ad templum Dei concurrite, veluti ad unum altare*. Ignatio succinit Tertull. l. ad Ux. c. 4. sugillans mulierem fidelem, quæ infideli viro nupserat, quod legem adeundi templum ad effundendas cum aliis preces implere non poterit. *Quis* (infidelis maritus) *nocturnis convocationibus à latere suo abscedere conjugem suam libenter feret?* Epiph in Exposit. fidei Cath. c. 23. docens, quæ sint officia celebrari in Ecclesiis solita. *Matutinæ laudes in Ecclesia catholica, matutinæque preces quotidie celebrantur*, ea addit, quæ evincunt id pietatis non uni Religiosorum ordini, sed & laicis quibuslibet peculiare fuisse; Chrys. hom 36. in 1. ad Cor. hunc morem confirmat dicens: *Conveniebant olim omnes, & psallebant communiter. Hoc nunc quoque facimus*. Hieron. Epist. ad Sabin. *Tota Ecclesia nocturnis vigiliis personabat*. Victor Utic. de Persec. Vandal. l. 2. *Jam Hymni nocturni per totam*

Ec-

Ecclesiam canente populo concrepabant. Isid. de Offic. Eccles. l. 1. c. 5. & seq. postquam exposuerit, quæ sit Christianorum orandi arcta obligatio, exprimit ritum publicè psallendi in Ecclesiis, qui sua ætate invaluerat, causamque reddit, ex qua laicorum in Ecclesiis præsentia haud ægre arguitur. *Primitiva*, ait, *Ecclesia ita psallebat, ut modico flexu vocis faceret psallentem resonare, ita ut pronuntianti vicinior esset, quam canenti. Propter carnales autem in Ecclesia, non propter spiritales consuetudo est instituta canendi, ut qui verbis non compunguntur, suavitate modulaminis moveantur*. Ambros. l. 3. c. 5 Hexam. *Bene mari plerumque comparatur Ecclesia* &c. *Responsoriis Psalmorum, cantu virorum, Mulierum, Virginum, Parvulorum consonans undarum fragor resultat*. Consentiunt Augustinus, Clemens Alexandrinus, Greg. Turonensis, Cyprianus, Basilius, & alii, quorum agmen claudant Venantii Fortunati Musæ l. 3. Poem.

Flagranti studio populum domus irrigat omnis;
Certatimque monent, quis prior irevalet?
Pontificis monitis Clerus, plebs psallit, & infans
Sub duce Germano felix exercitus hic est.

A Patribus ad Concilia venio, ex quibus prodam, quæ fuerit omnibus Clericis canonicum in Ecclesia officium canendi indispensabilis lex. XLIX. canon ex multis, quos Cartag. IV. Concilium ad promovendam Clericorum disciplinam edidit, jubet privari stipendiis Clericum, qui, corporis infirmitate non impediente, Vigiliis defuisset, & IX. Concilii primi Toletani quinto nascente sæculo celebrati decernit Clericum habendum non esse, qui quotidie ad Ecclesiasticos officiorum conventus non accesserit: mitiori tamen pœna utitur 65. annos post Toletanam habita in Armorica Galliæ provincia Synodus c. 14. *Septem Diebus*, inquit, *a communione habeatur extraneus Clericus, qui Matutinis Hymnis absfuerit*. Congruit edictum Aurelianensis II. c. 14, & I. pariter Aurelianensis c. 28. *Clerici, qui ad hoc sanctum opus adesse contempserint, secundum arbitrium Episcopi Ecclesiæ suscipiant disciplinam*.

Sed ne cui hæc videantur interpretanda de Clericis aliquibus particularium Ecclesiarum mancipatis servitio, ac sen-

fentiat non omnium antiquitus, fed aliquarum folemnium & in urbibus frequentiorum Ecclefiarum morem fuiffe facra Pfalmorum frequentia confecrari, perinde ac noftro ævo viget laudabilis, & pene ubique recepta in Cathedralibus Ecclefiis confuetudo Divinum canendi officium, plura funt quæ obftant. Teftatiffima enim res eft primò, atque extra omnem dubitationis aleam pofita, nullum locum in facrum erigi, nullam ab Epifcopo unquam confecrari potuiffe Ecclefiam, nifi aliquæ Martyrum Reliquiæ juxta Ecclefiafticas Traditiones, utor verbis feptimæ Œcumenicæ Synodi, fuiffent infertæ. Decretum id legimus per V. Cartag. Concilium c. 14.: deinde inftauratum a Nicæno II. can. 7. Rurfus autem conftat ex can. 25. Concilii Epaonenfis Reliquias Sanctorum vetitum in Ecclefia collocari, ubi clerici non effent, qui facris pignoribus pfallendi frequentia famularentur. *Sanctorum Reliquiæ non ponantur in Oratoriis, nifi forfitan clericos effe vicinos contingat, qui facris cineribus pfallendi frequentia famulentur*. Ex quibus fic ratiocinari fas eft. Nulla dedicari, nulla effe poterat Ecclefia Sanctorum Reliquiis non decorata: locus quicumque hoc facro illuftratus depofito fuos neceffario exigebat Clericos, qui reliquis pfallendi frequentia famularentur: nulla ergo habebatur Ecclefia, ubi divina officia a Clericis neceffario non celebrarentur.

Præterea res non minus teftata, aut perfpicua eft, ex veteri difciplina nullum fuiffe clericum fola tonfura donatum, quin fimul fuiffet aliquo initiatus ordine, quo in propria Ecclefia fungeretur; nullum pariter, cui fua Ecclefiafticorum reddituum portio non obtingeret, vel hæc in folis fportulis, & diftributionibus, ut primævæ Ecclefiæ temporibus, vel in aliis confifteret proventibus, juxta quod Ecclefia jam aucta in ufu fuit: ficuti enim antiqua confuetudo neminem ad Clericale minifterium afcendere patiebatur, nifi ad altaris fervitium fimul in aliquo ordine deputaretur: ita quemlibet exigebat defcriptum in aliquo canone, feu matricula, aut catalogo eorum, qui de fportulis, & Ecclefiafticis oblationibus erant participes: immo ex antiquis Conciliorum decretis compertum eft canonis voce plerumque denotari clericos omnes, qui Ecclefiaftico in ordine Ecclefiafticis alebantur

tur proventibus. Can. 6. Antiocheni Concilii: *Idem sit decretum circa laicos, & Sacerdotes, & Diaconos, & omnes, qui de canone sunt*; quos utique ad aliquem ordinem præter Clericalem initiationem fuisse assumptos, ut Ecclesiæ, in cujus Catalogo fuerant adscripti, possent inservire ministerio, suadet Cornelii Papæ Epistola ad Fabium Antiochenum relata ab Eusebio l. 6. Hist. c. 35., ubi recensens S. Pontifex Clericorum numerum, quibus Romana constabat Ecclesia, dicit, *Presbyteros esse 46., Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolithos 42., Exorcistas, & Lectores una cum Ostiariis 52.* Nihil autem meminit de Clericis cujuscumque ordinis expertibus Pontifex non omissurus profecto, si inter Clerum talibus locum dedisset eorum temporum Disciplina; præsertim cum recenseantur ibi & laici Ecclesiæ oblationum participes, quæ multo magis, si qui fuissent, spectare primum ad Clericos tantum debuissent, nec iis sine injuria fraudari potuissent.

Accedit aliud æque certum antiquitatis præscriptum circa Ecclesiarum erectionem. Liquet ex can. 5. Concilii Braccarensis, & can. 15. Toletani III., nec non ex cap. *nemo de consecr. dist.* 1. & aliis prærequisitam semper ad novi templi dedicationem justam, atque ab Episcopo prædefiniendam *dotationem pro sustentatione eorum, qui ibidem erant servituri*; sunt verba citatæ Braccarensis Synodi. Hæc autem dotatio illud primum a Clericis ex ejusdem fructibus alimenta percipientibus exigebat servitium, ut Deus quotidiano sacrificio, & jugi Psalmorum cantu coleretur. Sic inter plures Religiosissimus Imperator Justinianus Cod. l. 1. leg. 41. testatur, dum rationem afferens suæ legis, qua Clericos omnes ad quotidianam in Ecclesia Psalmodiam astrinxerat, ait. *Nam qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute, & communis Reipublicæ, reliquerunt illis Clericis substantias, ut per eas debeant sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus Clericis Deus colatur.*

Ex his ergo intelligere possumus latam a Conciliis legem de Canonica in Ecclesiis recitatione singulas Ecclesias, & singulos Clericos affecisse; nam cum singulis Ecclesiis ad Clericorum sustentationem erogarent fideles pia subsidia, quæ

quæ publicæ Psalmorum recitationis inducebant necessitatem, & hujusmodi præsidia in Clericos omnes partirentur; sequitur necesse clericos singulos, singulas Ecclesias huic oneri fuisse obnoxias.

Sed quid aliunde argumenta mutuaturi divagamur? Nonne aperta suppetunt in re hac momenta, quibus quælibet interpretationibus via præcluditur? Lex a Justiniano lata Clericos omnes juxta ac omnes Ecclesias complectitur. *Sancimus ut omnes Clerici per singulas Ecclesias constituti per se ipsos psallant Nocturna, & Matutina, & Vespertina Officia.* Capit. 8. ab omnibus Galliæ Episcopis anno 802. promulgatum præscribit Sacerdotibus omnibus omnium Ecclesiarum, ut die noctuque officia celebrent statis horis, eorumque celebrationem signo antevertant; ut populus omnis in Ecclesiam concedere possit. *Sacerdotes horis competentibus diei, ac noctis suarum sonent signa Ecclesiarum, & sacrata Dei celebrent officia.* Quem morem etiamnum antiqui rigoris tenacissima Cathedralis Parisiorum Ecclesia surgendi circa mediam noctem ad Nocturnas preces retinet; cum ab aliis Lutetiæ Ecclesiis post Francorum cladem, & ipsius Regis Joannis haud procul ab urbe Pictavio jam Regio decreto fuerit ablegatus. Toletani IV. anni 633. quo ex universa Hispania, & ex viciniori Gallia convenere Antistites canon. 10. statuit, ut publico omnium Ecclesiarum officio quotidie ab omnibus sacerdotibus, & subjacentibus hujus Clericis Dominica interferatur oratio, atque gravi mulcta hujus canonis violatores obterantur. Rhotomagensis anno 1236. coacta Synodus: *Præcipimus, quod quilibet Sacerdos in Parochia sua, seu Capellanus in Capella sua dicat Matutinas de nocte.* Idem Ravennatense anni 1286. præcipit; & in Florentina Diœcesi nondum Sæculo XV. pius mos aboleverat, scribente de D. Antonino Raynaldo, semper de noctu sollicitè surrexisse, *ut signum Matutini Officii Ecclesia Cathedralis præveniret.* Lubens calamus similia mittit Pipini, & Caroli Magni Decreta: mitteret pariter Tarraconensis II. can. 7. Emeritensis can. 18., Epaonensis can. 25., Aurel. IV. can. 33., aliorumque Conciliorum Canones, nisi ab his perspicuum foret Ruralibus quoque Clericis, & Ecclesiis psallendi Canonica pensa onus incubuisse. *Presbyteri, vel Diaconi,*

coni, qui inibi sunt (in villis) *cum Clericis septimanas observent .... & omnibus diebus Vesperas, & Matutinam celebrent*. Sunt verba can. 2. laudatæ Tarraconensis Synodi. *Si quis in agro aut habet, aut postulat habere diœcesim, primum ei terras deputet sufficientes, & Clericos, qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis condigna reverentia tribuatur*: ita can. 33. quarti Aurelianensis Concilii. Hujusmodi apud alia Concilia occurrent decreta; quibus addendum Bitterense in Narbonensi Provincia celebratum. *De Ruralibus Ecclesiis hoc inviolabiliter mandamus observari, ut in eis divinum officium frequentetur*. Quid quod neque ipsa privata Oratoria hanc legem effugerunt. Pro pluribus sint can. 15. Concilii Francfordiensis: *De Monasterio, ubi corpora Sanctorum sunt, habeat Oratorium juxta Claustra, ubi peculiare officium, & diuturnum fiat*, & Chrysost. autoritas Homil. 18. in Acta, ubi postquam magnates ad sibi Oratoria rusticis in domibus extruenda, excitarit, subdit. *Preces illic perpetuæ propter te; laudes, & Synaxes propter te. Quale est Matutinis, Vespertinisque Hymnis præsentem esse &c.*

Præsenti capiti finem faciat celebre Chrysostomi, & aliorum Antistitum factum, ex quo facile erit conjicere, quam in votis fuerit antiquis Patribus, ut continuo Divina Psalmodia frequentaretur in communi conventu, quamque religiose iidem decorare consueverint Ecclesias; cum in privatis locis nefas duxerint Sancti viri abstinere a sancto opere, vel quando propter persecutionem in sacro loco vacare Psalmorum cantui minime licebat. Autor est Palladius præsens & oculatus facti testis in vita Chrysostomi S. Antistitem prohibitum ab Ecclesiæ ingressu post alteram persecutionem, quam Eudoxia adversus eum excitarat in Regia urbe, divina officia cum Clericis peregisse in proprio diversorio, eumque imitatos fuisse quadraginta Episcopos, quorum tutela contra alios plures cum in Pseudosynodo, tum extra in se conjuratos fruebatur Chrysostomus. *Reversi Episcopi Vigilias intra sua diversoria celebrarunt*.

C A-

CAPUT VII.

Officium memoriter olim erat ediſcendum. Regulæ, & exempla, quæ hanc pro Monachis ſtabiliunt diſciplinam, Eandem pro Clericis inſinuant obligationem antiqua Conciliorum, & Pontificum ſtatuta. Artis typographicæ defectus, aliaque eidem conſuetudini patrocinantur.

QUÆ hactenus expoſuimus ad ſtabiliendam veterem divini officii neceſſitatem, pluribus monumentis confirmari adhuc poſſent: dicta tamen pro noſtro inſtituto, niſi pro rei merito ſufficiant. Interim ad aliud antiquis peculiare pro divino officio inſtitutum conferatur ſermo. Recitationis oneri primorum temporum diſciplinam adjeciſſe onus commendandi memoriæ totum Pſalterium cum Patrum, & Conciliorum aſſerta, tum antiqua hiſtoriarum monumenta, aliæque conjecturæ argumento nobis ſunt. Primum perhibeat teſtimonium Epiphanius in Expoſ. fidei Cathol. c. 23. *Monachi*, ait, *in decantandis Pſalmis, ac perpetuis orationibus, & ſacrarum litterarum lectionibus, & iiſdem memoriter pronuntiandis exercentur*. Epiphanio accedit Hier. ad Euſtoch. de Cuſtod. Virgin. *Noctibus*, inquit, *bis, terque ſurgendum, & revolvenda, quæ de Scripturis memoriter retinemus*, & in Epitaph. Paulæ. *Mane, hora Tertia, Sexta, Nona, Veſpere, noctis medio per ordinem Pſalterium cantabant, nec licebat cuiquam ſororum ignorare Pſalmos, & non de Scripturis ſanctis quotidie aliquid diſcere*. Teſtatur pariter Gregorius Niſſenus in vita Macrinæ Sororis ſuæ eam Pſalmos memoriæ habuiſſe mandatos: *Erat Pſalmorum haudquaquam ignara, præfinitamque earum partem ſtatis temporibus percurrebat*. Aug. in Pſal. 85. affirmat plebi innotuiſſe aliquot Scripturarum loca, quæ inter concionandum adduxerat: ex quo fit multo magis præſumendum non præteriiſſe eidem ea Scripturarum loca, quæ frequentius in publica Pſalmodia repetebat. *Jam reſpondetis, & audio murmur bene tenentium Scripturas*. Quod de ſui temporis plebe teſtatur Auguſtinus, uſu ac Religione commun-

munni obtinet apud Abyssinos: memorante enim in *Comment. in Hist. Æthyop. l.2. c.12. n.49.* Ludulpho Laici omnes, ipsæque de vulgo mulieres memoriæ Psalterium commendant; nec desunt ex ipsis Laicis, qui omnes prope D. Pauli Epistolas passim eidem memoriæ teneant consecratas.

A monachis id frequenter requirebant, seu melius ad hoc compellebant Monachos monastica statuta. Hanc legem constituit D. Ferreolus Ucetiæ Episcopus c. 11. suæ Regulæ apud Holstenium. *Omnis, qui nomen vult Monachi venditare, litteras ei ignorare non liceat, quin etiam Psalmos totos memoria teneat*. Nec dissentiebat in suis edictis præstantissimus ille in Judææ Provincia Cœnobiorum Rector, & institutor Sabba, cui inter prima monasticæ vitæ rudimenta præcipuum studium erat ut Psalterium memoriter ediscerent Tyrones, sicut ex ejus vita constat. *Parvum Cœnobium extructum habitandum dedit eis, qui è mundo recens ventitabant, donec ipsum Psalterium didicissent, & se exercuissent in alia monachorum vitæ institutione*. Ipsa magistri Regula quoddam veluti Benedictinæ commentarium non aliud præscribit, ubi singulis Monachis legitur onus indictum rationem reddendi Abbati Scripturarum, quas memoriæ commisissent. Idem inculcant in sua Regula Aurelianus Episcopus Arelatensis, & Isidorus Hispalensis in sua, quam ex priorum Patrum regulis concinnavit, præsertim vero in ea Eremitarum c. 20. ubi Grimalaicus Psalmorum, aliorumque Scripturæ locorum exactam a Monachis scientiam exposcit. Quam ipsam à Monialibus deposcebat D. Cæsaria Abbatissa Arelatensis Epist. ad D. D. Richildam, & Cunegundem, quæ extat. Thes. Anacd. t. 1. col. 4. *omnes memoriter Psalterium teneant*.

Joannes Climacus gr. 4 p. 62. agens de mira Menni Alexandrini Monachi patientia rei nostræ exemplum suppeditat non infirmum. Cœnobium repetentem S. Virum, flexisque genibus benedictionem, ut moris est, expectantem, Abbas ejus virtutem periclitaturus prostratum reliquit a primo Vespere ad primam nocturnarum precum horam, qua eum benedictione donavit, asperis insuper oneratum conviciis. Siscitatus postea Menno, quo spatium illud penitentiæ teruisset exer-

exercitamento? *affirmavit totum se humi jacentem Psalterium recitasse.*

Porro frequentiam hanc a Patribus testatam; a Regulis injunctam Monachis memoriæ tradendi Psalterium, & Scripturas, in dubium verti non potest collineasse ad divinam, ac nocturnam Chori Psalmodiam, quæ non ultimum erat Religiosæ vitæ munus, & a quibus tandem totum ferè officium, ut nunc temporis, conflabatur. Hinc Hieronymus verba faciens ad pium Ascetam iis utitur vocibus, quibus ad officii recitationem magis, quam ad morum instituta spectare eam cognitionem apparet. *Discat Psalterium ad verbum*, & de hac revera locutum. Hieronymum produnt, quæ subdit in eadem Epistola, *dicas Psalmum in ordine tuo*, ne repetam aliud Hieron. testimonium in Epitaph. Paulæ, ubi memoriter à Sacris Virginibus officium recitari consuevisse pronuntiat. Diserte Front. disert. 2. §. 5. *Antiqui Religiosi, & Religiosæ Psalmos, & Hymnos memoriter recitabant.* Quapropter apud Carthusianos antiquum Monastici instituti rigorem sedulo æmulantes, eadem viget etiam num Psalterii edìscendi cousuetudo.

Hæc pro Monachis. Quid pro Clericis eadem in re fuerit constitutum intelliges ab Anastasio Bibliothecario in vita Greg. III. observante exigitam hujus Pontificis tempore ad ordinum susceptionem Psalterii scientiam, nec non a Conciliorum sanctionibus. Nicenum II. can. 11. *Definimus*, inquit, *omnem, qui ad Episcopatus promovendus est gradum, modis omnibus Psalterium nosse, ut ex hoc etiam omnis Clericus, qui sub eo fuerit ita moneatur, & imbuatur.* Cojacense in Hispania celebratum can. 5. *Archidiaconi tales Clericos ad ordines ducunt, qui perfecte totum Psalterium, Hymnos, & Cantica, Epistolas, Evangelia, & Orationes sciant.* Vulgatissima sunt in Greg. VII. Epistolis, quæ S Pontifex à se observata affirmat, & requisita ad Clericorum ordinationes circa Psaltertii scientiam. Legi hæc possunt in Epist. 45. l. 4. 34. l. 8., 13. l. 9., nec non Epist. 6. l. 12., ex qua apparet detrectasse Gregorium ad Ecclesiasticos ordines promovere quam plures licet pietate, ac divinorum cognitione satis instructos non alia de causa, nisi quod Psalterium memoriter

riter

riter non tenerent, atque inexorabili lege decrevisse inquisitionem fieri de hac notitia in iis, quos aliqua erat suspicio non admodum ea pollere: *Sed etiam de Rustico Diacono quantos Psalmos minus teneat perscrutandum est*. Idem defectus, qui Gregorio VII. negandæ promotionis, Greg. X. visus est justissima deponendi Episcopum caussa. Ex Actis enim Concilii II. Lugdunensis posteriorum memoriæ consignatis liquet inter plura crimina, propter quæ in eodem Cconcilio Episcopali infula privatus fuit Henricus Leodiensis Episcopus, unum fuisse, quod memoriæ mandatum non haberet Psalterium pro Canonicarum horarum recitatione. De duobus Episcopis post pœnitentiam ad vomitum reversis narrat Gregorius Turronensis l. 5. c 32. habitum inter præcipua eorum crimina officium memoriter non tenendi: *Nulla prorsus de Deo erat mentio; nullus omnino cursus Memoriæ habebatur*.

Leviora sunt quidem, quæ sequuntur; ea tamen, ut faciliorem propugnato asserto expugnare valeant assensum. Artis Typographicæ beneficio obvia nondum erant omnibus tot exemplaria, nec facili negotio cuique eadem sibi comparandi via patebat. Insudabant quidem olim plurium Amanuensium calami in exscribendis libris; & si cui pro hoc labore in tantum Reipub. litterariæ commodum suscepto debet posteritas; certe Monachis præsertim, & Monialibus ipsis debet, quorum peculiari industria, & opere tantum de antiquitate sacra, & profana ad nos usque dimanavit. Testis ingens ea transcriptorum Voluminum copia, quæ etiam num in Levinensi prope Turonem, Casinensi, Luxoviensi, aliisque præstantibus Cœnobiorum Bibliothecis invisuntur. Testes M.S.S. Sacrorum & Prophanorum autorum Codices, qui, vel diuturnis monasteriornm tenebris sepulti publicæ luci in dies donantur per Viros eruditos, vel argumento sunt aliis, ut emendatiora posteritati commendent eorumdem Autorum, quæ typis jam edita mendis scatebant, scripta. At tot licet Antiquarii utili adeo exercitio operam darent: credibile tamen non est innumeris pene ejusdem officii exscriptionibus tempora impendisse, ut cuique satis esse possent, cum ad multa, & semper nova auto-

to-

thorum opera tranſcribenda diſtraherentur laborantium manus, quibus publicas, quibus privatas, & in dies creſcentes locupletarent Bibliothecas. Multo minus credibile eſt tot diſpoſita ſacrorum officiorum volumina in choris, aliiſque divino huic muneri addictis locis, quot canentium oculos non effugerent. De Monachis id maxime ſentiendum, qui ad duo aliquando, & ultra mille in unum ad ſacram conveniebant Pſalmodiam; cum teſte Auguſtino de Mor. Eccl. c. 31. tria uſque monachorum millia ſub uno Abbate in Egypto convixerint, & numero etiam majores in uno cœnobio facile occurrant Monaſticam Orientis percurrrenti hiſtoriam: imò cum die Paſchatis alicubi, alicubi vero etiam per integrum Majoris hebdomadæ intervallum ex pluribus cœnobiis in unum convenire Monachis eſſet injunctum; teſtatur D. Hier. in Præf. ad Reg. S. Pachomii aliquando 50000. hominum ſimul ſacram peregiſſe ſolemnitatem.

Ad Clericorum itidem Eccleſias hoc ſpectare non admodum à vero abhorret. Certè primis ſæculis eadem exſcriptionum inopia & has pro temporum conditione urgebat Eccleſias: & ſi frequentiores eſſe potuiſſent Clericis tranſcripti ſacrarum precum codices; non tamen rationi conſonum videtur iiſdem ad cantum uſos, dum cum plebe divina egerunt Officia, ne labore inferiores viderentur populo, cui certe nulli erant per Eccleſiam publici libri, nec ſingulis privatis poterant ſuppetere, ſed memoriter Pſalmos in Eccleſia concinnebant, quos apprime ita callebat antiquis temporibus vulgus ipſum, ut crebro reſonaret Pſalmorum cantus in publicis viis, atque inter ruſticos ſudores; quomodo ad Marcellam Hieronymus ſcribens affirmat. *In Chriſti vero villula tota ruſticitas, & extra Pſalmos ſilentium eſt. Quòcumque te verteris orator ſtivam tenens alleluia decantat. Sudans Meſſor Pſalmis ſe avocat; ex curva attendens falce vitem vinitor aliquid Davidicum canit.* Nec eamdem laudabilem conſuetudinem exulaſſe ab Eccleſiiis ſtatim ac plebs a publico cantu amota eſt, ſuadet, quæ huc collimabat repetita Conciliorum, & Pontificum lex ut Clerici omnes Pſalterium ediſcerent; nec aliud quam hujus diſciplinæ veſtigium habendus eſt laudatiſſimus uſus, qui in aliquibus

H illu-

illustrioribus Ecclesiis hodie dum superest ne habeantur libri in Choro, sed memoriter decantentur omnia: qui usus promoveri videtur etiam per Narbonense Concilium: *In Choro nullum librum etiam precum: imo ne ipsum quidem Breviarium teneant, aut legant*. Hodie dum Religiosi ex præstantissimo Montis Sina Monasterio, referente D. de Monconys, quemlibet precum librum Choro ablegant; cujus vice Religiosus Officiorum librum manu gestans ex una ad aliam Chori partem progreditur, alta voce indicens versiculum decantandum. Lugdunensis verò, ac Rhotomagensis Diœceses plane veterum mori sine libris officia persolvendi adhærent.

CAPUT VIII.

Diversitas rituum in Officiis splendorem affert Ecclesiæ. Multis decretis cavetur ut in una Provincia rituum non vigeat varietas. Affertur hujus Disciplinæ ratio. Enumerantur causæ, quare in diversis Provinciis diversa habita sit in ritibus observantia. Notatur majus discrimen aliquorum populorum hac in re, nec non inter aliquot tum ex antiquis, tum recentioribus Monachis. Non omnis varietas rituum affert diversitatem.

De variis ritibus in celebratione officiorum usitatis acturo hoc in capite, animus non est peculiariter de singulis sermonem instituere, multo minus specialem quorundam rationem delineare; aliquot dumtaxat exhibebo, ex quibus deprehendi facile possit antiquæ Ecclesiæ non secus, ac recentiori contigisse varios habere filios in sanctissimi instituti observatione. Ex hac autem diversitate nemo nescit quæ in Ecclesiam redundet majestas, quis splendor; dummodo sanctitatem, & gravitatem retineant diversi ritus. Ea enim est varietatis conditio, ut omnibus jucunditatem afferat, & pulchritudinem.

Nihil jucundum, nisi quod commendet varietas

Ajebat Mimus ille pervulgatus, & quid quid spectabilis est in toto hoc mundi complexu, ex varietate spectabile effecit rerum omnium conditor Deus. Quare nihil mirum si Eccle-

sia,

sia, quæ tota pulchra est non sola invisibili sanctitate, sed & visibili opere, varietate externi cultus & ornetur, & semper fuerit ornata. In Mysteriis peragendis, & dispensandis; in incruento sacrificio offerendo; in indicendis jejunii temporibus, distribuendis pœnitentiæ gradibus, diebus festis colendis, orationibus fundendis, aliisque sacrorum Cæremoniis, varietas hæc quolibet sæculo inter fideles mirum in modum enituit. Diversis modis olim supremum numen in externis his pietatis operibus colebatur ab Occidente, diversis ab Oriente, & nunc quoque ab Orientali in cæremoniarum usu differt Occidentalis Ecclesia; imo & in hac sua occurit rituum varietas: uni etenim regioni ac Provinciæ peculiaris est unus Rituum ordo, alius alii regno, ac nationi. Elegantissima est hanc in rem Augustini Epistola 86. n. 36. contra Urbicum quemdam, quem male habebat, quod Jejunium Sabbati Romæ observatum aliæ pleræque Ecclesiæ minime amplecterentur. Sed quemadmodum spectabilem efficit Ecclesiam hæc rituum diversitas, cum prudentiam servant, & decorem: ita deformitatem in Religione pariunt, cum a sanctitate & gravitate deficiunt. Et sane qui, Deus immortalis, non irrepserunt in Ecclesiam ex hoc capite abusus; quot monstra impietatis inter opera pietatis non eruperunt; quod fidei periculum creatum non fuit ex nimia sacros ritus immutandi licentia? Nota sunt, ut veteres missos faciam particularium Ecclesiarum fidem non evertentes abusus, nota, inquam, sunt, quæ privata authoritate ausi sunt in hoc genere Gnostici, Adamitæ, Cataphriges; quæ Nestoriani, Donatistæ, & Pauli Samosateni impii gregales; quæ Ophitæ, sectatores Apollinaris, & Armeni; quæ Eunomius & ..... Sed nimius essem, si cunctas percurrere vellem sectas, &, quid singulæ in Sacros ritus peccarunt, enarrare. Illud non omittendum invigilasse semper Ortodoxos Patres ut hujusmodi libertas, & audacia comprimeretur, & facili malo, ut promptum afferretur remedium, decrevisse per frequentia Concilia, quorum est ut fidei dogmata stabilire, ita collapsam disciplinam reparare, vel ne collabatur providere. *Ex hoc*, Leo I. Epist. 62. ad Episc. Siciliæ c. 4. *Saluberrimè*, inquit, *constitutum est a*

S. S. P. P. binos in annis singulis esse Episcoporum conventus; terni semper ex ipsis ad diem tertium Kalendas Octobris Romam fraterno conventu sociandi occurrent. Et longe ante Leonis tempora ob eamdem causam emanavit Apostolicum decretum 36. inter canones vulgo Apostolis adjudicatos. *Bis in anno Episcoporum celebrato Synodum: ac pietatis inter se dogmata in disquisitionem vocanto, neque non in Ecclesiis incidentes contradictiones dirimunto: semel quidem quarta feria Pentecostes, secundo duodecima Hyperboreti*, videlicet Octobris; hoc enim ea vox Asiæ, & Macedoniæ populis sonat.

Aliæ sunt præterea leges, que noxios ritus cohibeant non modo, sed in re nostra nimiæ eosdem, utcumque graves, invehendi occurant licentiæ. Concilium Epaonense anni 517. statuit can. 27. ne Diœceses subditorum Antistitum quid differant a Metropolitana in divinis peragendis officiis. *Ad celebranda divina officia ordinem, quem Metropolitani tenent, Provinciales eorum observare debebunt*. Braccarense II. anno 563. edixit Episcopis, ut Diœcesim invisentes discutiant *Clericos, quomodo Baptismi ordinem teneant, vel missarum, & qualiter quæcumque officia in Ecclesia peragantur*, & can. 2. ejusdem Concilii: *Placuit omnibus communi consensu ut unus, atque idem psallendi ordo in Matutinis, vel Vespertinis Officiis teneatur, & non diversa, ac privata*. Gallicana Ecclesia in idem studium incumbens statuit in Synodo Venetica, ut *intra Provinciam Sacrorum ordo, & psallendi una sit consuetudo ... ne variata observatione in aliquo devotio nostra discrepare videatur*. Concilio Toletano IV. quò ex universa Hispania, & vicinia Galliæ Narbonensis convenerunt supra sexaginta Episcopi, cautum fuit, ut per omnes Provincias, totumque Gothicum Dominium una vigeret Officiorum consonantia: *Unus ordo orandi, atque psallendi nobis per omnem Hispaniam, atque Galliam observetur: unus modus in Missarum solemnitatibus, unus in matutinis, vespertinisque officiis; nec diversa sit ulla in nobis Ecclesiastica consuetudo, qui in una fide continemur, & regno. Hoc enim & antiqui canones decreverunt, ut una quæque Provincia & psallendi, & ministrandi parem consuetudinem contineat*. Jam vero ex his Conciliorum decretis duo sunt, quæ colligere manifeste liceat. Primum invaluisse

luisse eo tempore discrimen aliquod Psallendi officii unam inter & aliam ejusdem Provinciæ Diœcesim, quod enim corrigendum lex decernit, jam irrepsisse ferè semper supponitur. Alterum est vere existens antiqua rituum discrepantia unius ab alia Provincia, & regno; aliter non quædam Provinciæ, sed totus orbis Catholicus in unum ritum concessisset, nec *canones antiqui decrevissent, ut unaquæque Provincia saltem psallendi parem contineret consuetudinem*.

Mirari subibit alicui forte, & scrutabitur, eccur Ecclesia diversitatem officii tolerarit in diversis Provincijs, eamdem non permiserit in eadem Provincia? Nonne Deus æque colitur uno, ac alio ritu, dummodo prudentia, gravitas, & sanctitas in unoquoque servetur? Nonne certum est exacto in sacris riribus decori, fideique puritati nihil obesse solam locorum distinctionem, unde diverso hoc modo se coli a gente sua indignetur Deus, quando interna charitate ad diversos ritus feratur populus? Ita profecto dicendum primo aspectu videtur; at rem intimius pervadenti, & externum Ecclesiæ regimen, fideique sinceritatem, quæ ex mutua populorum communione non parvum roboris accipit in consilium adhibenti, aliter discurrendum esse videbitur, habebitque exploratam causam, quæ ad hujusmodi decretum impulit Concilia. Enimvero non adeo certum est primò a locorum diversitate oriri non posse, unde villescat ritus, qui alibi usitatus, nihil haberet honestati externi cultus dissonum. In una enim Provincia interdum majestatem audit, quod in alia contemptum, ita ferente incolarum sensu, à quorum moribus non raro suboriuntur rationes, quæ diversam in sacris disciplinam poscant: sic, ut de pluribus taceam, Japoniæ incolis albus color tristitiæ, niger gaudii inditium est: Sinensibus honor ducitur, atque alienæ existimationis protestatio caput obvio homini tegere, contra vero apud Europeos caput in occursu alterius aperire idem est honoris inditium. Hinc ea ratio effluxit, quarè mos obtinuerit apud Sinenses sacrum agere capite operto, atque in eumdem ritum inclinarit Pauli V. licentia: penes alios fideles autem sacra operari aperto capite ritus invaluerit; aliterque agere districtè inhibuerint Pontifices Maximi, & Sacræ Congrega-

gationis decreta. Secundo (& hæ Constitutionum Ecclesiasticarum veræ causæ habendæ sunt) cum omnes Episcopi unius Provinciæ in unum veluti corpus coalescant, quorum caput repræsentat Metropolita, æquum est ut in eumdem ritum, quo caput, & membra consentiant. Pariter cum omnibus eadem sint adeunda Concilia, simul omnes divinis debeant interesse officiis, simul sacra solemnia celebrare; jam patet hæc omnia non nisi gravi incommodo posse præstari, si suum quisque peculiarem habeat canendi, & celebrandi ritum. Præterea, urgente frequentius honesta causa, ut unius diœcesis Sacerdos ad vicinam ejusdem Provinciæ, quam alienæ proficiscatur diœcesim; jam populorum admirationes, & scandalum vereri par fuisset, si qui in una Ecclesia pluribus sæpe adstitissent sacerdotibus vario inter se ritu celebrantibus. Clerici quoque aliò a patria migrantes convenire cum reliquis, ut vetus ferebat consuetudo, ad publicas preces vix potuissent, aliam nanscìscentes orandi formam ab ea, quam in sua Ecclesia frequentare assueverant. Accedit Ecclesias propinquas facile mutua ope, & societate vicinorum ministrorum primis potissimum sæculis indiguisse: cum confusione autem ab Ecclesiis vicinarum Diœcesum accersiti fuissent Sacerdotes ad sacrorum ministeria, si a Sacerdotibus alieni ritus hæc debuissent exposci. Tandem res infiniti fuisset laboris Provinciali Synodo discutere variarum Ecclesiarum ritus, propter quod congreganda erant hæc Concilia; examini subjicere eorum rationem; videre num quid rectis moribus, divinæ revelationi, majorum Traditionibus repugnans complecterentur, vel alia id genus, quæ concordiam in fidei negotio tollerent, vel Schismati, & dissentionibus aperirent ostium.

Enumeratis causis, quare Ecclesia uniformes voluerit unius Provinciæ clericos in rituum observantia, affinne videtur causas pariter enumerare, ex quibus in tanta fidei unitate locum habere potuerit in diversis locis tanta rituum varietas. Innoc. hujus nominis I. potiorem hujus rei causam refert scribens ad Decentium Episcopum Eugubinum. *Si*, inquit, *Statuta Ecclesiastica, ut sunt ab Apostolis tradita, integra vellent servare Domini sacerdotes, nulla diversitas, nulla varietas habe-*

beretur, sed dum unusquisque non quod traditum est, sed quod sibi visum fuerit, hoc æstimat esse tenendum, inde diversa in diversis locis, vel Ecclesiis aut teneri, aut celebrari videntur. Eòdem collimat Socratis narratio: *Causa, & auctores istiusmodi discrepantiæ fuerunt Episcopi, qui variis temporibus Ecclesiæ praerant,* & Sozomenus l. 7. c. 19. *Multas consuetudines per pagos, ac villas reperias, quas ob reverentiam vel eorum, qui eas introduxerunt, vel eorum, qui istis successerunt prævaricari tollerandum non putant qui his innutriti sunt.* At nimiæ id quidem, non tamen cujuslibet diversitatis causa fuit. Diffiteri enim non possumus, quin ab Apostolis variæ derivarint rituum institutiones; divisis siquidem inter Christi Discipulos ad Evangelii prædicationem mundi Provinciis, mutuo eos contulisse legimus de unitate fidei proponendæ iis, quos vocaturi erant ad Evangelicum jugum, at nusquam certum suppetit monumentum idem præstitisse circa alia, quæ ad Disciplinam spectabant. Quare unusquisque, vel pro ut varia sunt hominum ingenia, variam divini cultus formam tradidit gentibus ad novam fidem conversis, atque eam, quæ suo genio majoris pietatis speciem præferret, & Religionis; vel ritus disposuit eos, qui magis essent accommodati ad mores regionum, & populorum, quos nova fide imbuerant. Argumento sunt nobis vetustissima, quæ ab ipsis Ecclesiæ incunabulis obtinere cœpit in diversis locis consuetudo peragendi sacra ritu diverso, consuetudo quidem Apostolicæ referenda institutioni: neque enim ea invalere potuisset, si aliquod extitisset de unitate rituum Christi, vel commune Apostolorum præceptum: neque Apostolus propriæ reservasset dispositioni eorum institutionem, cum ad Corinth. 1. c. 11. scribens *Cætera*, inquit, *cum venero disponam*. Argumento est pariter ea rituum varietas, sub quibus dispositæ leguntur Liturgiæ Petri, Matthei, Marci, Jacobi, Barnabæ, Clementis, & Dyonisii genuinus horum authorum fœtus, ut pluribus, spurius, ut aliis, at vetustissimus omnibus, & ab Authoribus primorum sæculorum proficiscens, qui discrepantiam tantam non affixissent Apostolis, & Apostolorum coævis, nisi persuasum tunc fuisset in Ecclesia hanc diversitatem Apostolis probatam fuisse. Item aliter de festo Paschatis

tis celebrando Occidentales institutos à Petro, & Paulo; aliter à Joanne Orientales exploratum est.

Ipsæ, quæ Apostolis, etiam Apostolorum successoribus nullo arctatis præcepto, causæ fuerunt varios in suas Ecclesias introducendi ritus: præcipua tamen repetenda est a diversis diversarum nationum moribus, atque ingeniis, quæ ut varias in rebus politicis cæremonias sectantur, ita & varios in rebus Ecclesiasticis ritus exigunt, queis proinde expediens se accomodare visum est novis Evangelii propagatoribus, Apostolorum informatis exemplo, qui alias proponebant cæremonias desertoribus Sinagogæ, alias a gentilitate ad veram fidem confugientibus, & ipsius maxime Petri atque Pauli, qui legalium observationum se se duces exhibuerunt *propter Judæos, qui erant in illis locis*. Act. 16. Hinc igitur effluxit rituum diversitas in pluribus Provinciis, & terrarum partibus, hac in re utentibus Episcopis potestate sibi relicta decernendi, quod necessitas, & prudentia ad Ecclesiæ propagationem, mutuamque Charitatem postularet, salva fide, decerni; nam ut inquit Tertull. in l. de Velan. Virgin. *Regulam quidem fidei una omnino est, sola immobilis, & irreformabilis .... Hac lege fidei manente, cætera jam disciplinæ, & conversationis admittunt novitatem correctionis, operante scilicet, & proficiente usque in finem gratia Dei*. Justam hanc causam esse vel varios, vel novos introducendi ritus novit Magnus Gregorius, atque ex ea licentiam fecit Augustino alteri Angliæ Apostolo eos deligendi ritus pro Anglicana Ecclesia, qui sibi magis viderentur expedire ad fovendam illorum populorum conversionem, & stabilitatem in fide. Nota est Gregorii pro hoc facto ad August. Epistola. *Mihi placet*, inquit, *ut sive in sancta Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas; non enim pro locis res, sed pro bonis rebus loca a nobis amanda sunt*.

Propius ad rem nostram tandem accedat oratio, & indigitet peculiares aliquas Provincias, seu Regna, quæ invicem discreparunt celebrandi Officii Divini consuetudine.

Pri-

Prima se se nobis offert Hispania ad fidem conversa Jacobi Apostoli prædicatione, uti constans eorum locorum traditio est. Cui ritui adhæserint Hispaniarum Ecclesiæ in officiorum celebratione primis fidei sæculis, temporum diuturnitas certam nobis invidit notitiam: licet si acceptæ ab Hispanis Religionis exordia, nec non Innoc. I. Epist. ad Decent. & Greg. VII. ad Sancium Regem in censum adducamus effata, uti & 26. can. Synodi Eliberitanæ statutum ad examen revocemus, a Romano ritu vix primos Hispanos discrepasse conjicere haud temere licebit. Illud extra omnem dubitationis aleam esse debet a sæculo V. novam officiorum rationem invaluisse apud Hispanos, ab Oriente facile profectam, & ab Hispanis Episcopis in meliorem, ac singularem ordinem redactam. Gothici, & Mixt-Arabes novi hicce officiorum ritus nuncupati fuerunt, eò quia in usu illi forent apud Christianos populos Mozarabes, aut melius ex *Specim. Hist. Arab.* Mixti-Arabes dictos, qui Hispania, & vicinas regiones occupabant, & originem duxerint eo tempore, quo sub Gothorum ditione vivebat Hispania. Baronio hujus officii author est Isidorus Hispalensis: Baronio adhærent recentiores multi Hispani, sed profecto a scopo aberrantes: nam, præterquamquod officium istud antiquius esse Isidoro Hispalensi, in vivis agente Sæculo dumtaxat VII. evincunt bene multa, suppetit ab ipso Isidoro *Ep ad Coepisc.* testimonium, quo disertè gloriam hanc Gothici officii elucubrati in fratrem suum Læandrum rejicit. En Isidori verba: *In Ecclesiasticis officiis non parvo elaboravit studio, in toto enim Psalterio duplici editione orationes conscripsit, in Sacrificii quoque laudibus, atque Psalmis multa dulcisoue composuit.* Usus Mozarabici ritus patuit per Regna Castellæ, Arragoniæ, Cataloniæ, Legionis, per Galliam Narbonensem, aliasque regiones Gothorum dominio subjectas. Ad Sæculum X. pacificè obtinuit in Hispania ritus iste a mendis nonnullis, qui Arianorum iniquitate irrepserant, purgatus, Roma ipsa approbante in Synodo coram Joanne Pontifice congregata; ubi nihil a veritate Catholica ritum hunc dissentire definitum, at solum cautum, ut Romano more sacratissima verba, quibus incruentum perficitur Sacrificium, proferrentur, Baronio

ad annum Christi 918. testante. Aliter tamen subsequenti Sæculo XI. visum est R.R.P.P. Alex. II. Greg. VII., & Urb. II. Hi enim nullum non moverunt lapidem, ut abrogato Gothico, Romanus in tota Hispania admitteretur ritus; sed diù infaustis avibus, reluctante semper populo, qui ægerrime ab avitis cæremoniis patitur divelli. Alex. II. rem primum aggreditur. Hic Regnante Sanctio Ranimiro per Ugonem Candidum Cardinalem in Hispanias Legatum obtinuit, ut Gothico Romanus ritus sufficeretur in Aragoniæ regno, quemadmodum in Jacetana Synodo anni 1063. juxta Criticam Pagi, fuerat decretum sub Rege Ramiro Sanctii parente. Legati ejusdem opera, cui adminiculum præstitit summum Adalmoldis mulier princeps ex Francorum gente, mutatio ipsa invaluit in Barcinonensi Principatu, consentientibus in publica Synodo totius ditionis Episcopis, & Abbatibus. Vix Pontificium solium conscendit Alexandri successor Greg. VII., nihil ei fuit antiquius quam ut Gothicum officium tota Hispania exularet: scriptis ergo litteris ad Sanctium Aragoniæ, atque Alphonsum Castellæ Reges pro virili elaboravit, ut Navarræ Ecclesiæ Regio jussu Romanas preces adoptarent, in eumdemque ritum concederet Castellæ regnum; & jam voti compos factus Gregorius Navarræ primum, tum Castellæ Ecclesiis, adjuvante Constantia uxore Alphonsi, ablegatum vidit antiquiorem ritum. Verum non tota Hispania ideo Pontificiis, Regiisque votis audiit: reservatum id fuit aliquibus post annis Urbani II. curæ, operæque; hoc enim in Romana Cathedra sedente, tandem ab Hispaniæ moribus plane Mozarabicus ritus abscessit, cum tamen ferro, & igne periculum prius fecerint populi, an superis hæc abrogatio placeret, si qua fides Rodericho Archiepiscopo Toletano *l. 6. de rebus Hisp. c. 26.* Perhibet siquidem laudatus author singulari certamine rem prius probatam, unde a Gothico pugnans victor evasit: deinde populo tumultuante felici ab exitu adversus Regia, quæ adhuc pro Romano urgebant, edicta, illud utrimque pactum, ut uterque codex flammis imponeretur ad cœlitum explorandam voluntatem; sed a flammis illæsum superfuisse Gothicum, Romanum vero ab igne consumptum. At vero quis cordatus tamquam historicæ narrationi

fidem

fidem his habebit, non potius tanquam male confictam fabellam explodet? Putas ne populum, qui præceptis, atque minis non poterat sine tumultu adduci, ut a prisco ritu divelleretur; Ecclesiasticos viros, & Monachos, qui pro antiquis hiscæ cæremoniis retinendis supra homines decertabant; Reges ipsos, qui non sponte, sed alienis tantum hortamentis arduam capessiverant abolendi officii Gothici provinciam, aut in præconcepta sententia perseveraturos, aut in ipsam denique abrogationem concessuros, ubi tam claris, atque repetitis portentis divina accepissent de illo retinendo documenta? Quid magis a ratione alienum, & humanis moribus incongruum potest affirmari? Quid ergo, fabellæ Architectum insimulabimus hominem infula dignum, cui fides omnis concedatur? Nequidquam: potuit enim popularibus rumoribus in errorem trahi Rodericus, vulgi sermones ad justam Historicæ fidei limam non revocando: siquidem non tamquam oculatus testis, aut tanquam certis momentis firmata hæc scriptis commendasse; clarum est, cum annis 160. post hos eventus Historiam suam elucubrans memoratus auctor, illis non potuerit intersuisse, neque alios scriptores ætate sua vetustiores in rei confirmationem adducat, sed tantum loquentium verbis accepta posteris tradat. In totam igitur Hispaniarum ditionem introducto Romano ritu, jam Gothicus ita in desuetudinem abierat, ut ejus vestigia vix licuerit assequi Cardinali Ximenio sæculo XV., cum, ne tam sacrum vetustatis monumentum penitus intercideret, undique exemplaria Mozarabici ritus conquisivit, sed irrito pœne labore; nullum enim integrum officiorum omnium codicem se se in toto regno obtulit; quamobrem hinc inde dispersa colligere, deficientia de novo exarare opus fuit, ut statutis in locis *obsoleta nostræ Religionis arcana* instauraret eruditissimus purpuratus, quemadmodum Acta Cathedralis Toletanæ ajunt. Ex quo colliges Missale, ac Breviarum Mozarabum Toletanæ editionis & pretio, & raritate memorandum non consentire prorsus antiquo Mozarabum, sed partim ex illo, partim ex recentiori Toletano ritu esse conflatum. Porro hujusmodi ritus adhuc in Hispania sunt Monasteria quædam, sunt & Parochiæ multæ, quæ vel continuo, vel statis tem-

poribus solemnia officia peragunt, & maxime majoris Ecclesiæ Toletanæ Sacellum, ubi ad hunc ritum novis moribus instaurandum vir super æthera notus Ximenius sacerdotum collegium instruxit, qui sacra officia ex Mozarabico instituto absolverent quotidie, quemadmodum hactenus observatur. Cæterum horis omnibus in hoc ritu exordium a divina imploranda pietate notissimis verbis *Kirie eleison*, *Christe eleison*, *Kirie eleison* ducitur, post hæc *Pater*, & *Ave*: Ad Noct. semper primus Psalmus est quinquagesimus, quem subsequuntur tres Antiphonæ cum Responsoriis, sua singulis adjecta oratione; tum Hymnus canitur diversus pro festorum diversitate, tres psalmi, totidemque Antiphonæ cum orationibus. Sed hæc hactenus de ritu Mozarabico. Ad alias Ecclesias oratio festinat.

Peculiaris Officiorum forma fuit etiam Galliæ ante Pipini, & Caroli M. tempora: Anglorum enim Apostolus Augustinus ad M. Gregorium hanc proponit quæstionem dirimendam; *Cur una cum sit fides, sint Ecclesiarum consuetudines diversæ? Et altera consuetudo Missarum est in Romana Ecclesia, altera in Galliarum Ecclesia tenetur*. Gloriantur Galli Evangelicam lucem accepisse Apostolorum ævo per Paulum, Martialem, Dyonisium Areopagitam, Lazarum, Magdalenam, Martam, Maximinum, aliosque ab Apostolis destinatos viros; & his oris Evangelicum affulsisse lumen per aliquot ex memoratis definiunt in Bituricensi, ac Lemovicensi Conciliis congregati Patres, innuitque anno 1103. Paschalis II., cum ad Petrum Archipræsulem Aquensem scribens pallii gestandi copiam fecisset. Explodunt tamen multi tantam a Gallia fidei antiquitatem, ac plures II., plures III. dumtaxat Sæculo Catholicam in Galliis religionem stabilitam pertendunt, tandemque admodum propagatam Sæculo V. cum Clodovæus Rex anno 496. Christo initiatus lustralibus aquis caput subjecit. Verum ex libito alii pro hac vetustatis gloria digladientur, quam Gallis per me adjudicant tum locuples Irenæi, Polycarpi, qui Joannem audierat, discipuli; nec non Tertulliani *Tract. adv. Judæos*, ac Cypriani testimonium, qui longe ante sua tempora Evangelium in Galliis acceptum memoravit; cum Eusebii Cæsariensis accuratissimi Historici cal-

calculum l. 1. c. 1. referentis *ex Pauli reliquis comitibus Crescentem fuisse ab eo in Gallias missum*; ex libito, inquam, alii hac de re digladientur, & Areopagitam Dyonisium in primis eruditioris doctrinæ homines a Gallia eripiant; cujus Apostolatus fama, etsi non Sæculo dumtaxat IX. ab Hilduino S. Dyonisiano Abbate promanavit; quemadmodum constans erat Criticorum; & certa sententia apud Maiburgum l. 1. *du Schisme des Grecs* ante vulgatum a V. C. Mabillonio Theodorici II. in Gallia, jam VIII. sæculo regnantis monumentum: recentior tamen fuit, & priscis adeo ignota, ut certæ falsitatis merito traducatur. Illud in re nostra exploratum esse debet Christianæ fidei mancipatam Galliam, mox in divinis officiis ritus fovisse a Romano diversos, & Orientalibus aliquantum accedentes, uti conjectura non contemnenda desumimus ex primis Galliæ Episcopis ab Oriente in Gallorum regiones profectis. Quis vero peculiaris audire debeat Gallicani ritus auctor ad eam methodum, qua pluribus sæculis in Gallia viguit, redacti, admodum incertum est. Constat quidem Hilarium Pictavorum IV. sæculi Antistitem *librum Hymnorum, & alium Mysteriorum* scripsisse, fidem faciente Hieronymo: constat etiam Sæculo V. Musæum Massiliensem Presbyterum *hortatu S Venerei Episcopi sui*, verba sunt Gennadii l. *de viris Illust.* c. 79. *excerpsisse ex sacris scripturis lectiones totius anni festivis apta diebus; Responsoria etiam Psalmorum, & Capitula tempori, & lectionibus congruentia*. Sed istos ideo primos Gallicani ritus habendos auctores hæc non evincunt. Ad Caroli Magni ætatem usque a Romana diferebat Galliarum Ecclesia, quemadmodum bene multis antiquitatis monumentis, at tum vel maximè iis, quæ Religiosissimus Princeps Carolus M. a patre suo, nec non a se peracta testatur, ut diversitatem Officiorum in suis Regnis ad Romanum Ordinem reducèret, habemus compertum: ita enim scribit l. 1. *contra Synodum Græcorum de imaginibus*, quem verum esse Caroli fœtum ex M. M. S. S. Vaticano, ac Tilliano exemplaribus, aliisque momentis evincunt recentiores Critici contra Bellarminum: *Quæ dum a primis fidei temporibus, cum ea perstaret in Religionis sacræ unione, & ab ea paulo distaret, quod tamen contra fidem non*

non est in officiorum celebratione venerandæ memoriæ genitoris nostri Illustrissimi, atque Eccellentissimi viri Pipini Regis cura, & industria; sive adventu in Gallias Reverendissimi, & Sanctissimi viri Stephani Romanæ urbis Antistitis, est ei etiam in psallendi ordine copulata, ut non esset dispar ordo psallendi, quibus erat compar ardor credendi, & quæ unitæ erant unius sanctæ legis sacra lectione, essent etiam unitæ unius modulationis veneranda traditione, nec sejungeret officiorum varia celebratio, quos conjunxerat unicæ fidei pia devotio. Quod quidem & nos collato nobis a Deo Italiæ Regno fecimus. Simile nobis exhibeat testimonium Carolo Magno suffectus in Galliarum throno Carolus Calvus in Epist. *ad Clerum Ravvennatensem. Nam & usque ad tempora abavi nostri Pipini Gallicanæ Ecclesiæ aliter quam Romana, & Mediolanensis divina celebrant officia*. Verum etiam post Pipini, & Caroli M. ætatem, non ita Gallia Romanis ritibus omnino assuevit, ut ad hæc usque tempora plures non habeat Ecclesias, immo Diœceses, quæ a Romanis in nonnullis non discrepent. Suos peculiares habet ritus Lugdunensis, suos retinet Lemovicensis, æque suis adhæret Meldensis, Pictaviensis, Turonensis, Tolosana, & aliæ, de quibus propria cujusque Missalia, & Breviaria sunt consulenda.

Non aliter fertur de Anglia, quam Joseph ab Arimathæa Catholicæ fidei peperit, quamve, ut multis arridet, ipse Apostolorum Princeps anno XII. imperii Neronis Christo genuit, tum Fugatius, & Damianus Evangelio restituit, tandem Monachus Augustinus Sæculo VI. in fide stabilivit. Argumento hujus in Officiorum celebratione diversitatis sunt quæ in Vvigorniensi congressu Episcopos inter, & laudatum Augustinum acta sunt pro Anglicis ritibus abolendis. Author præterea est *l. 4. Hist. gentis Anglorum c.* 18. Beda Monachum Monasterii in Anglia Præfectum obtinuisse ab Agathone P. M. virum, qui ferret in Angliam Romanum Missale, ac Breviarium, edoceretque Anglos, ut imposterum Romano ritu Missam, horarumque sacrum pensum absolverent *sicut ad S. Petrum Romæ agebatur*. Porro verosimile haud est Roma usque accersitum Sacerdotem ad informanda Romanis moribus Cœnobia, si ab Ecclesiis sæcularium Sacerdo-

dotum illa potuissent recipere. Quo autem tempore ab avitis institutis ad Romana tandem desciverint Angli, juvat audire V.C. Mabillonium Præf. 1. in Sæculum III. Benedictinum n. 104. hæc disserentem. *Anglicana Ecclesia paulo ante Gallicanam recepit cantum, ritusque Romanos; & cantum quidem per Joannem Abbatem Romanæ S. Petri Ecclesiæ Archicantorem, teste Beda in Hist. l. 4. c. 18. ritus autem Romanos anno 747. in Concilio Clovesboviensi, cujus extat hac de re canon.* 13.

Alii aliis Europæ Provinciis in usu fuere, at parum vulgati ritus. Non ultimo loco habendum peculiare divinorum Officiorum, ac Liturgiæ institutum, in quod Metropolitanam olim Aquileiæ Diœcesim cum aliis concessisse certissimis momentis suadetur. Porro vel splendidus Metropolis Patriarchalis honor contigerit Aquileiæ, quod inter Italiæ Provincias Venetiæ, atque Istria primo loco ex utriusque imperii divisione fuerint potitæ; quemadmodum p. 2. Euchar. c. 3. opinatus Salmasius contendit: *Venetiæ Metropolis Aquileja 3. hinc Aquilejensis Episcopus Patriarcha semper nuncupatus est:* vel quod a conflato caussâ trium capitulorum schismate Aquilejenses, cum aliis Istriæ Episcopis excussa R. P. obedientia, jus Patriarchale in Aquilejensem Antistitem transtulerint, quemadmodum Christianus Lupus *in notis ad V.* Synodum arbitratur c. 6. *Adjunxit se tertius Italiæ Metropolita Paulinus Aquileiensis Episcopus, a cujus duritia vocatum est Schisma Histrium, & ipse ejus Patriarcha. Hæc sunt vera exordia, & natales Patriarchatus Aquilejensis.* Ab alterutro inquam derivet titulus iste decorus; & abs hujus loci re est id in disputationem vocare, & animus refugit controversiam aleæ plenam attingere, refricando cicatricem sæculorum diuturnitate jam plane obductam, novamque invidiam creando sedi de Ecclesia, quam maxime à sæculis meritæ. Hac de re tantum affirmabo Aquilejam sanctissimis primum Marci ad fidem, tum Hermagoræ auspiciis fuisse in Episcopalem thronum evectam: cum vero, diruto Syrmio, caput Illyrici Occidentalis evasisse videretur, & cum Gothorum in primis Regum patrociniis, tum Longobardorum Principum viribus adjutæ, qui nominum saltem gloria Episcopos suos ex libito decorantes eò collimabant, ut ditionis suæ Ecclesias

aliis

aliis Ecclesiis nollent obnoxias, incrementa non contemnenda accesserint: ad illud tandem fastigium conscendit, quo nunc gloriosissimè potitur, ut re ipsa loco, & ordine supra omnes Italiæ Metropolitas, atque Primates efferatur, ex repetitis Leonis VIII. Clem. II. & Alex. II. Privilegiis. Verum ne diu extra rituum pomæria divagemur. Usibus vixisse suis in sacrorum celebritate tam illustrem Ecclesiam a Walafrido Strabone primum habemus testatum, qui c. 25. Paulinum Aquilejensem Episcopum ritu peculiari sæpius cum rem divinam, tum Hymnos celebrasse affirmat. An vero Paulinus iste novi ritus, *Patriarchini* nuncupati, fuerit institutor, an potius mori in Ecclesia sua jam recepto adhæserit, nihil definit Strabo: *Traditur Hymnos vel ab aliis, vel a se compositos celebrasse*: non nemo recentior Paulino antiquiorem consuetudinem istam agnovisse videtur, cum Paulinus anno 570. Aquilejensi Ecclesiæ præfectus viveret; ipse vero communem asseveret ritum hujusmodi, jam Valeriano, & Crematio Aquilejensibus Episcopis, quorum nomina non sine laude memorat Hieronymus Epist. *ad Rufinum Aquilejensem Presbyterum*, & alibi. Rem omnium diserte pronuntiat Ferdinandus Ughellus eruditus è Cistercienfium Ordine Scriptor Tom. V. Italiæ Sacræ, ubi de Ecclesiis Fori-Julii, & Venetiarum Dominii, illarumque Suffraganeis differens ab ipsius fidei hac in Provincia exordiis, hoc est a S. Hermagora, quem *Discipulum B. Marci Evangelistæ, & primum Aquilejensis civitatis Episcopum* fuisse ex R. Martyrologio ad IV. Idus Julii constat, originem Patriarchini ritus deducit; cum ex hujusmodi ritu apud Comenses usitato inferat a Sancto Hermagora Evangelica luce imbutam Comi civitatem. *Comensis Ecclesia*, inquit, *usque ad annum* 1598. *proprio canendi ritu, ut vocant, honoris gratia, Patriarchinum, quem postea Clemens VIII. sustulit, Romano indicto, usa est. Quæ omnia videntur testari a S. Hermagora Comenses fuisse institutos in fide, illorumque Pastorem Aquilejensi tanquam Metropolitano fuisse subjectum*. Quam vero latè hujusmodi institutum patuerit, & ad quæ usque tempora Ecclesiis suis fuerit commune, discimus a Synodo Provinciali Aquilejæ, quò, Francisco Barbaro Aquilejensi Metropolita indicente, convenerant anno 1596. ex tota A-

qui-

quilejæ Provincia Episcopi XVII. Isti porro in Synodo congregati *tit.* 15.confitentur vix ab eorum moribus recessisse veteris instituti,quoad sacrarum officiorum solemnia, usum: *De proprio Breviario canebantur superioribus annis Horæ canonicæ, & erat etiam proprium Missale ...... ritus antiquissimo usu recepti*: tum, ne amplius in tota Provincia obtineat ritus ille, injungunt: *Decernimus igitur, ut in tota Aquilejensi Provincia, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuscumque tam publicè, quam privatim imposterum Horæ Canonicæ ex Brev. R. sub Pio V. edito recitentur .... Quod item decernimus in Missali, Rituali Sacramentorum, & aliis observandum*. Provinciale hoc Decretum tamen ab avitis moribus non distraxisse Ecclesias omnes Aquilejensi obnoxias, testis Ecclesia Comensis priscum institutum accerrime ad annum 1598., uti Ughellus, sectata ex repetitis suarum Synodorum statutis: *Recitent*, verba sunt Synodi Comensis anno 1579., *Horas Canonicas quotidie sub pœna alias per nos, & postea Pium V. felic. record. præscripta, easque secundum ritum Ecclesiæ Comensis, qui ritus in Missis celebrandis pariter observetur*.

Non omittendus Illyrici, & reliquarum Provinciarum ad Italiam spectantium, Orientale solitum Sæculo VIII. Leone Isauro occupante, novus quidam in divinis ritus. Hunc præfatæ Ecclesiæ, agente per injuriam Imperatore, adoptarunt, & in hunc pariter Neapolitana Diœcesis, Romæ licet propior, concessit, utpote quam Ecclesiæ rebellis Leo Patriarchali Constantinopolitanæ sedi addixerat, Greg. II. reluctante. Novus hic ritus Græco-Latinus dicebatur eò, quia & nonnulla ex Latino, cui prius adhæserant, & ex Græco, cui fuerant de novo adjunctæ regiones istæ, retineret. Verum haud diu violenta consuetudo invaluit; quamvis ex eo tempore factum sit, ut in Neapolitana Diœcesi, & potissimum in ruribus frequentior sit Græcus populus, ritusque. Legendus hac de re P. Christianus Lupus Tom. 1. *ad Nicænum Symbolum Scholiis, & Notis illustratum*.

Romana pariter Ecclesia non fuit a varietate ritus in divino officio plane immunis;alia enim Romanæ Curiæ,seu Lateranensi Ecclesiæ, alia reliquis erat pro divino officio consuetudo. Id discriminis in urbe Roma obtinentis exprobabat olim Ca-

tholicis Petrus Abaelardus Epist. Apologetica *adversus S. Bernardum* sic: *Sola Lateranensis Ecclesia antiquum tenet officium, nulla filiarum suarum in hoc eam sequente*. Prolixiorem cursum amplectebantur inferiores Ecclesiæ, breviorem Laterenensis, ita urgente negotiorum mole, qua R. P. & Cardinales officium in hac decantare soliti, ut plurimum obruebantur. Consule Rodulph. Tungr. Decanum *l. de Canon. Observ. prop.* 22.

Hactenus de ritibus jam vel omnino, vel fermè abrogatis; nunc de iis, qui aliquibus in Ecclesiis, recepto adhuc more servantur. Notius, quam ut differere oporteat, est peculiare Mediolanensis Ecclesiæ institutum. Ab Ambrosio acceptum fert *l. de Reb. Eccl.* c. 22. Walafridus Strabo: *Ambrosius*, inquiens, *Mediolanensis Episcopus tam Missæ, quam cæterorum officiorum dispositionem suæ Ecclesiæ, & aliis Liguribus ordinavit, quæ & usque hodie in Mediolanensi tenentur Ecclesia*. Latiùs ergo patebat olim, quam ævo nostro, ritus Ambrosianus, in sola Mediolanensi Ecclesia modo receptus, & insuper a successoribus Episcopis quà auctus, quà innovatus. Ante Ambrosii tempora ritu suo laudes Deo persolvisse Mediolanenses pertendunt Scriptores alii cum Vicecomite, ad S. Microletem Mediolanensem Archiepiscopum exordia ejus instituti reicientes; alii ad Apostolum Barnabam, quem primum Ecclesiæ suæ Episcopum jactant Mediolanenses, adulterina manu Catalogo Mediolanensium Præsulum haud ita pridem adscriptum, uti M. S. S. acerrimus scrutator, & judex Mabillonius deprehendit ex M. S. a Cathedralis Ecclesiæ istius Bibliotheca eruto, ubi *Barnabas recentissima manu* adnotabatur. Sed cum Ambrosio Ecclesiæ suæ, atque totius Italiæ traditio adstipuletur, non est ab ea sine certo fundamento recedendum.

In Europa ritu Græco sacras preces absolvunt in Mysia ad oram Danubii considentes Bulgari, apud quos anno Christi 347. Julio I. P. M. in urbe Sardis Bulgarici regni tum Metropoli convocatum est Œcumenicum Concilium, quò prima Orientalis & Occidentalis Ecclesiæ lumina contra Arianos convenerant. Ad superstitiosos tamen ritus reduces, rursus ab Idolorum ad crucis cultum fuere per homi-

nes

nes Græcos redacti, a quibus uti fidem, ita & sacras Cæremonias perceperunt, dum Photiano pulvere nondum esset Græca Religio inspersa. Michael illorum Rex in urbe Imperiali lustralibus aquis mundatus veterem hominem cum gente sua anno 861. deposuit ex Nicetæ, & Simeonis Logothetæ narratione. Romanæ tamen sedi a novæ conversionis tempore obnoxiæ constituuntur novorum Christianorum Ecclesiæ, quæ præcipuas quinque Provincias, Daciam scilicet Mediterraneam, Daciam Ripensem, Prævalem, Dardaniam, ac Mysiam superiorem complectebantur; ubi enim Christo recens nomen has gentes dedisse accepit Nicolaus I., mox Paulum Populoniensem, ac Formosum Portuensem Episcopos ad illas Legatos destinavit, sanctissimis præceptis instituit, atque ad varia illorum Consulta respondit, concedens Bulgarorum Præsuli, cui sedes erat civitas Acrida, ut præclara Patriarchæ frueretur dignitate. At vero omnia susdeque commovente Photio Constantinopolitano Patriarcha, jure suo Imperialis urbis Antistiti regendam Bulgarorum Ecclesiam, utpote quæ ad Græci imperii fines spectabat, contendi cæptum; nec sopita fuit exauctorato Photio, controversia: siquidem magno animorum æstu de illa in Concilio Constantinopolitano anni 869. actum, diuque quæsitum, sedi ne Romanæ, an Constantinopolitanæ subjiciendi essent Bulgari, quorum Legati in Concilio aderant, ubi tandem reluctante licet Basilio, votis Patrum Romano Præsuli subjecta remansit Bulgaria; sed brevi Romanorum gaudio: cum Patriarcha Constantinopolitanus Ignatius in hanc Bulgarorum Ecclesiam sibi mox jus vindicarit, ejusque vestigia proprius legerit in Constantinopolitanam sedem rursus immissus Photius, quamvis ea lege a Joanne VIII. Pontificio honori fuerit denuo restitutus, ne in Bulgaricæ Diœceseos administratione se ingereret. Fatendum tamen in hos mutati juris motus ultro concessisse Bulgaros donis, & pollicitationibus a Constantinopolitanis, ipsoque Imperatore Basilio corruptos; unde & Latinos Sacerdotes a finibus suis abegerunt. Quæ quidem seditio multorum malorum incendia Græcos inter, & Latinos suscitavit, de quibus aliis læto calamo differentibus; præter nostrum institutum est immo-

morari, ejusque tantum animadvertere etiam Latinum ritum heic ab initio una cum Græco locum habuisse; cum in exortis dissidiorum flammis Bulgarica ditione vi cedere debuerint Latini Sacerdotes, & solum Græcis ex Antistitum Constantinop. sententia immorari permissum; ex quo tempore jam nonnisi Græcanicas leges, cæremonias, ac disciplinam Bulgaria admisit in finitimas Valachiæ, Transilvaniæ &c. regiones non infrequenter transmissam; a quo data opera temperamus ad ritum, qui apud majoris momenti oras frequentatur, calamum deducturi.

Ad eumdem Græcanici ritus in Europa sectatorum censum referendi sunt Moscovitæ, nomine anno tantum 1325. ab urbe *Moscou* mutuato, antea semper Russi dicti, vel a Russo fratre Lechii, & Czechii, quem coloniam Slavorum in Roxolaniam duxisse scribit Petrus Luccari *in Annal. Ragus*; vel a regione ipsa Rosseja olim nuncupata, Russis contendentibus, ac in multos parvos Principatus divisa Vvarergorum juri subjectos. Epocham Evangelii regionibus istis annuntiati ab Apostolorum tempore deducit vulgaris horum populorum consensus; & sane non omnino Evangelica luce privatas vixisse regiones istas sæculo IV. suadet Antipatri Russorum Episcopi nomen, quod inter 90. Antistites, uti Athanasio, vel 97. ut Hilario, vel 99. ut Sozomeno videtur, legimus Antiocheno anni 741. Concilio subscriptum. Baronius Sæculo IX. arbitratur ad Ecclesiæ gremium convolasse Ruthenos, Basilio II. rerum summa potiente. Verum a X. sæculo melius alii repetunt Moscorum conversionem, cum Wladimirus Russorum Dux vicinarum gentium spoliis onustus, & Annæ Bizantinorum Imperatorum sorori copulatus, abrogato suorum Deorum cultu, Græcam religionem anno 989. adoptavit. Ut vero a Græcis, Basilio III. Imperatore enitente, fidem Russi, sacramque hausere Disciplinam; ita abiisdem Episcopos acceperunt, & Constantinopolitanæ Cathedræ obtemperarunt, quotquot Ecclesiæ magnis Christianæ Religionis incrementis ad Borealem usque circulum se se exporrigebant gentes. Constabit porro Russorum ritus cum Græcis planè consentire ipsorum Liturgiam, & officiorum libros consulentibus, inter quos occurrit pro canonicarum precum recitatione

Oro-

Orologium sive Breviarium ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ, insigniorumque ex Græcia cœnobiorum methodum exaratum; sicuti & ritus officii quolibet hebdomadæ die recitandi. Quod est ad Ecclesiastica jura; jam ab anno 1588. Constantinopolitani Antistitis jugum excussere Moschi Præsules, ab eo tempore Magno Moscorum Imperatore Patriarcham eligente, nec electum ab aliis confirmari patiente. Græci tamen, ne jure suo injuria videantur deturbati, comminiscuntur ex Hieremiæ Patr. Const. anno 1588. in Moscovia commorantis indulto factum, ut Moscorum Diœcesis Græcæ non viveret amplius obnoxia. Sanè si quibus id, in opere Grizanti Hier. Patriarchæ anno 1715. vulgato, proditur vestigiis, perobscura ea sunt, & leviora, quam ut extorquere valeant assensum. Quæ tamen vigebat summa Moschi Patriarchæ auctoritas, jam ab anno 1718. novimus ab Imperatore abrogatam se Religionis caput, & Protectorem toto, quà latè patet, ditionis termino, declarante. Ecclesiastica tanti imperii Monarchia, referente Oleario *Itin. Moscov.*, ex quatuor Metropolitanis, 7. Archiepiscopis, & unico Episcopo constat: aliis melius Episcopales sedes numerantur; quarum prima, & totius ditionis Metropolitana in urbe *Moscov.* sita est: Archiep. II., alter in urbe *Rostouv*, alter in urbe *Novogrod* constituti; Episcopatus vero VIII. ad quorum administrationem ex ordine Monachorum D. Basilii religiosi, ut plurimum assumuntur, queis castitati, ac paupertati addictis bona Ecclesiæ tutius censentur committi. Religionis negotia Synodo discutiuntur, regio etiam jussu congregata, ubi res alicujus momenti id deposcat.

Ab Occidente in Orientem trajiciamus. Præter Græcos habet Oriens Armenos, Nestorianos, Jacobitas, Æthiopes, Maronitas, Cophtos, aliasque non exiguas Christianorum sectas. Apud has gentes diversa officii celebrandi viget consuetudo; a Latinis discrepant Græci, ab utrisque Armenii Cophti, & Æthiopes ab his omnibus: Maronitæ ritum Græcum in aliquibus imitantur, in multis ab eodem recedunt, quod Nestorianis, & Jacobitis in proprio ordine commune est. Cæterum quæcumque cum in officiis, tum in aliis fuerit mutua hæc rituum discrepantia, profecto ea dissensionum seges

esse

esse non debuerat, qua Græci in Armenos, Armeni in Græcos, utrique in Latinos debaccati sunt: nihil erat quod propter varias consuetudines violatæ Religionis Romanam Ecclesiam appellaret Photius: nihil quod Michael Cærularius cum aliis Schismatico spiritu percitis hominibus calumnias impingeret Latinis, ipsasque iisdem obseraret Basilicas, quia suis non viverent institutis, ut in Epistola ad Odonem Antistitem Bellovacensem Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, & ad Michaelem Cærularium Leo IX. conqueruntur. Non ita sane in Græcos, & Armenos ex varietate disciplinæ sæviit Latina Ecclesia; sed in multiplici horum populorum cum Occidentalibus unione, & maxime in celebri Florentini Concilii sub Eugenio IV. fœdere permissum est Orientalibus libere iis uti in officiorum, aliorumque celebratione ritibus, quos a majoribus, salva fide, acceperant, & iis etiam num intra Romam utuntur multi ex Oriente Christiani, ac præsertim Græci, Armeni, Maronitæ, atque Abyssini in Ecclesiis, quas sub titulo S. Athanasii Græcis, sub titulo S. Mariæ Ægypti alteris concesserunt Clemens VIII. & Pius V. necnon in Hospitio, quod prope S Stephani Ecclesiam instauravit novissimè Abyssinis Clemens XI, atque in templo, non ita pridem Gregorii XIII. liberalitate Maronitis concesso, ut suo quilibet ritu divina Officia, Missas, Sacramenta, Ordinationes, & alia sacra in iisdem peragerent, rati nihili habendum hos a Latinis dispares esse in rituum observantia, dum pares essent in fidei unitate juxta egregium Fulberti Carnotensis monitum Epist. 2. ad Finardum. *Plura sunt in Ecclesiasticis officiis, in quibus Orientales Ecclesiæ, & nostræ communi observatione sibi respondent: sunt vero alia, in quibus alias ab aliis cultu dispari, & varia observatione audivimus dissonare: Nec tamen nos offendit observantiæ diversitas, ubi fidei non scinditur unitas.*

Operæ pretium foret peculiares horum populorum ritus, necnon eorumdem auctores in medium proferre; ut exinde clarius Orientalium ab Occidentalibus pateret discrimen, & ipsa discriminis sibi constaret auctoritas, nisi hæc omnia adamussim persequi integri operis, non exiguæ operis partis materies foret. Quare hic aliquos tantum delibandos potius,

quam

quam hauriendos propinabo. Conveniunt itaque Græci ferè omnes in eumdem ritum sive de Monachorum conventibus, sive de Sæcularibus Ecclesiis habeatur sermo. Duo circiter a tota natione discrepant Cœnobia, alterum *Montis Sancti* in Macedonia situm, alterum *Cryptæ Ferratæ* in agro Tusculano, licet adoptatum discrimen non magni sit momenti. Porro maximam jactare Græcanicos ritus in Ecclesia antiquitatem nemini dubium esse potest, qui non simul ignoret hos populos ex primis Christo nomen dedisse, & cum dato Evangelicis dictis nomine, peculiares suos ritus, & horum aliquos ab Apostolis hausisse, quos deinde, quod apud alias gentes contigit, temporis progressu ad ampliorem ordinem fuisse redactos, nemo in dubium pariter revocat. Hoc in adjudicatam Jacobo Liturgiam præstitit Basilius, hoc Chrys. hoc in sacramentorum administratione, & divini officii ordine alii; sed qui huic Spartæ, & divini in primis officii dispositioni adlaborarint, id est exponendum. In perdocta de Ecclesiasticorum librorum Scriptoribus Dissertatione, quam Leo Allatius magno eruditorum plausu vulgavit Græcanici officii ordo, ac institutum certis adjudicatur auctoribus, ac in primis S. Sabbæ magno illi Monachorum in Palæstina Rectori, *qui & miro sanctitatis exemplo refulsit, & pro Catholica fide adversus impugnantes S. Synodum Chalcedonensem strenue laboravit*. Verba sunt Martyrologii Romani ad Nonas Decembris. Ducitur ad hoc asserendum memoratæ Dissertationis auctor Simeonis Thessalonicensis auctoritate in Dialogo contra Hæres. hæc scribentis: *Ordinatior, ac suavior, quam in monasteriis, & omnibus ferè Græcorum Ecclesiis divini officii ordo præscribitur ex Typico, seu Rituali Monasterii S. Sabbæ; etenim S. Pater noster Sabba divinum officium in certum quemdam typum, seu formam scriptum redegit, quam a S. S. Euthimio, ac Theotisto per traditionem acceperat: hi porro a Majoribus suis, & Caritone præsertim confessore Dei sumpserunt. Hanc vero divini officii normam a S. Sabba in litteras missam; cum ob irruptionem vastantium omnia barbarorum interiisset, S. Pater noster Sophronius sanctæ civitatis Patriarcha studio, laboreque restituit, & post eum divinus, ac rebus Theologicis tractandis acerrimus Joannes Damascenus renovavit, & denuo in litte-*

litteras misit. Ecce tibi a Caritone, Euthymio &c. quasi per manus transmissam Sabbæ divinas laudes concinendi Methodum, litteris ab eodem S. Abbate consignatam, & a Sophronio tandem, ac Damasceno ex jactura sua vindicatam, quæ deinde Menæis Græcorum commendata, hodie dum toti propemodum nationi solemnis est: cum ordo Canticorum in Menæis per plures libros distributus plane conveniat Ordini a Typico Hierosolymitano S. Sabbæ præscripto. Quod etiam testatur omni exceptione major Allatius modo laudata Dissertatione. *Ille divini officii ordo, qui S. Sabbæ fuisse dicitur, uti melior, & rebus accomodatior, ideoque etiam plausibilior apud Græcos invaluit, quo quidem ordine hodie non tantum, qui S. Sabbæ regulis nomina scripserunt, sed cæteri etiam aliorum Ordinum sectatores, & Sacerdotes in sæculo vitam agentes, & quod maximum est, universa ferè Græcia ad divina officia recitanda diriguntur*. Non inficias tamen eundum alios novis concinnandis pro officio Hymnis identidem adlaborasse, quod pro omnibus argumento sunt præfixa *Contaciis*, hoc est breviusculis Odariis Romani Emesseni, aliisque Hymnis Cosmæ Hierosolymitani, Theodori Studitæ &c. nomina. Ex assertis huic ritui auctoribus facilè colliges a primis Ecclesiæ sæculis istiusmodi instituti repetendam esse originem: Cariton enim mortali aura Sæculo III. potiebatur, & IV. ineunte mira pro Catholica fide gessit, Macario Hierosolymitanam cathedram occupante, quemadmodum Menologio per Canisium tom. 2. Lection. antiq. vulgato, Actis Caritonis per Surium ad 28. Sept. in lucem editis, fit exploratum: Euthymius vero rebus mortalibus anno 377. Bollando ad diem 20. Januarii adnotante, datus Teotisto paullò ante hæc tempora rebus humanis concesso assuevit apud Lauram vulgo *Faram*, eoque arctissimo necessitudinis vinculo conjuncti ambo ad mortem usque, processerunt, *ut quæ alter sentiret, essent etiam cordi alteri*, prodiderit Euthymii vitæ Scriptor Cyrillus Monachus. Tandem Sabbas primis annis ad Euthymium octogesimum ætatis annum agentem accessit, ut ipsi in Laura conviveret, a quo *per quemdam ex Fratribus transmissus fuit ad Beatum Theotistum, rato non expedire ut adeo juvenis, ac imberbis in Laura versaretur*. Hæc ex narratione ipsius Monachi Cyrilli,

Re-

Referendis cujuslibet Officiorum partis singularibus precibus supersedimus: non dicam novem Psalmis absque Lectionibus constare ipsorum nocturnum officium cum Trisagio Tropario, Litania &c. non referam Psalmos quatuor dumtaxat recitari in Laudibus, *Gloria in excelsis*, *Trisagion*, *Troparion*, *Litanias &c.* Hæc, & alia videri possunt in Græcorum Mœnæis iterum, ac iterum excussis.

Armenos suis ritibus ab aliis Orientalium regionum habitatoribus discrepare quam exploratum, certumque est, tam involuta, obscuraque sunt illorum primordia. Ex Gregorii Cæsariensis ad Moisem Ortodoxum Armeniæ Sæculi VI. Patriarcham litteris, a Romano Pontifice Gregorio ritus hausisse Armenos opinatur P. Lupus in Notis ad Concil. Rom. I. At ibi Græгorium meminisse de solis ritibus in sacrorum Ordinum ministerio usurpatis, vel oculos leviter in præfatas litteras figenti apertum est: imo neque de omnibus, sed de sola manuum impositione, *ut in nostro Rituali manuum impositionis*. Deinde esto, Roma etiam ritus acceperint Armeni, numquid propterea omnes ritus Romanos adoptasse dici debet? Tandem si a Gregorio Latinorum Cæremoniis instituti, itaque plura sæcula ante aliis indulgebant ritibus: cum Evangelico jugo colla Bartholomæo, & Thaddæo Apostolis operantibus, subjecerint. Sed vel post Gregorii ætatem a Latinis dissentire, ut ostendatur, haud pluribus opus: cum idem Cæsariensis Doctor scribat, *in Ritibus tamen missarum, & aliarum orationum cum Romanis minime concedimus*, & oculos in manifestum rei testimonium liceat appellare, quotiescunque vel ipsorum sacris interesse, vel eorum Ritualia consulere in animo sit.

A Latinis ritus derivasse suos Armenam gentem aliunde alii sibi persuasum facere videntur, ex celebri nimirum, quod Galanus Hist. Armenæ c. 2. memorat, jam inde a Sylvestri Pontificis ætate unionis fœdere Romanos inter & Armenos inito, Patriarca Gregorio operante, ac integrum authographum exscriptum depromit. Sed præterquamquod vulgatum illud fœderis exemplar Criticis non probatur eò, quia in illo & Romano Pontifici multa tribuantur, quæ tempora illa, cum vix a persecutionum tempestate respirare Ec-

 cle-

clesiæ licuerat, non redoleant; ne verbum quidem de ritibus occurrit; & jam multò prius cum Evangelica luce assueverant statis Cæremoniis sacra absolvere Armeni. Quamobrem, si a Gregorii sui ævo Latinis adhæserunt ritibus, jam, uti dicebamus, aliis ante Gregorium, scilicet ante sæculum IV. utebantur Armeni, Evangelium ab Apostolorum Bartholomæi atque Thaddei ætate ita constanter profitentes, ut pro dignitate narrari non posse affirmet Galanus in annot. ad c. 2. Hist. Arm. *quanto tellus Armenica Sanctorum Martyrum sanguine irrigata fuerit, semine fœcundata, floribus purpurata, priusquam fructum suum benedictissimum, magnum, inquam, Gregorium, Martyrem inclytum, & gloriosissimum Patriarcham mundo procrearet .... Legantur Historiæ, Annales, Martyrologia apud Græcos, Latinos, Armenos; & Martyres occurrent innumeri, qui Gregorii dormitionem in Armenia præcesserunt*. Hoc idem falsi præterea evinci posset, ubi sibi constaret, quod Combefisius in sua de Armeniis narratione opinatur, *Gregorium Armeniorum Apostolum a Græcis accepisse fermentum*. Eccui igitur auctori, eccui tempori Armeniorum rituum accepta ferri debet origo? In tanta rerum, uti dicebam, ambiguitate illud certum mihi, non nisi divinando quicquam statui posse circa ritus, quibus assueverint Armeni a Regis Abgari ævo, cum Thaddæus Edessam ad Armeniam eo temporis spectantem, peperit Christo: sive cum alii Apostoli vastissimum illud regnum Evangelica luce illustrarunt, in quam gloriæ partem Paulum vocat Chrysostomus apud auctorem *de la Dissertation Historique, e Critique sur le Pape Libere*, usque ad Tiridatis regnum, & illuminatoris Gregorii ætatem: per ea siquidem temporum intervalla iis persecutionum procellis agitata fuit Ecclesia Armena, ut sanguine ad Fidei confessionem effuso potius, quam sacrorum ritibus coruscans nobis innotescat. Ab hac porro ætate Græcis ritibus adhæsisse primum Armenos; tum sensim sine sensu a Gregorii successoribus nonnulla immutata dedisse Ecclesiæ huic tam latè patenti, ritus eos particulares, quibus a Græcis, aliisque nationibus discrepant Armeni, haud obscurum mihi videtur, si liceat in re hac conjecturis potius, quam apertæ aliquorum Scriptorum adhærere assertioni. Ad

hoc

hoc opinandum plura sunt, quæ animum inclinent. Illuminator Gregorius, Thiridate jubente, a Leontio Cæsareæ Antistite Episcopali dignitate insignitus, uti Armenam Cathedram huic Græcæ obnoxiam effecit; ita & Græcos ritus ab eadem hausisse aud immerito dici potest: cum testatissimum sit aliis Orientalibus populis solemne fuisse illius Ecclesiæ sectari ritus, a qua vel fide, vel Præsulibus donabantur; quamobrem etiam Azimorum ritum, Armenis familiarem, inde profluxisse opinatur Pater Honoratus a S. Maria Tom. II. *Critices* l. 4. Differt. 5. art. 2. *Sanctus iste vir* (Gregorius) *educatus Cæsareæ in Cappadocia, importaverat profecto in Armenam Ecclesiam a se constitutam eumdem consecrationis usum, quem Cæsareæ usurpari viderat*. Deinde qua utuntur Liturgia, paucis immutatis, Chrysostomi est, in Armenam linguam translata, cujus versionem, non improbat Balsamon *in supplemento Juris Orient*. Tom. I. *Propria Dialecto sacra conficient, exemplaria consuetarum sanctarum precum habentes non evariantia ex Contaciis Græcanicis litteris eleganter descriptis*. In hac vero Armenis usibus recepta Liturgia non raro Græcos ritus deprehendi, immo Græca quædam verba relicta hodie dum in ipsa legi compertum est; & olim propius Græcorum usibus accessisse argumento est, quod apud Bollandum, & Surium ad diem Januarii decimam primam legimus in vita S. Theodosii Archimandritæ, simul videlicet Armenos, atque Græcos *ad sacra communionis Synaxim convenisse post Evangeliorum lectionem, quam propria lingua singuli complebant*. Quod circa Liturgiæ, idem nobis circa officii divini ritus conjectura non spernenda consequi posse videmur: nam Abbatem ipsum Sabbam, qui Græcis fuerat divinorum Officiorum instaurator, fuisse Armeniorum multis institutorem discimus ex vita ipsius sanctissimi Abbatis per Cyrillum Scytopolitanum conscripta: *Eo itaque tempore*, hæc memoratus Cyrillus, *Armenios a parvo oratorio in Ecclesiam a Deo extructam transtulit, ut Psalmodiæ regulam Armeniorum Dialecto exequerentur; imponens eis Megalion, & reliquam Officii seriem in Synaxibus separatim Armenia lingua peragerent*. In eamdem curam incubuisse Theodosium Archimandritam, virum Græcum, qui eodem tempore ac Sabba Anachoretis, fuit a Patriarca

Saluſtio omnibus Hieroſolymitanæ ditionis Cœnobitis præfectus, colligimus ex hujus Archimandritæ vita apud Allatium in Epiſt. *ad Naudæum*, ubi hæc habentur: *Hic cum quatuor exædificaſſet Eccleſias, unam in qua ...... tertiam, in qua Armenii perpetuo Hymnorum cantibus addicti, lingua propria laudes Domino dicerent*. Vides in utroque loco animadverti aliam ab aliis Religioſis Græcis linguam in divino officio ſolemnem fuiſſe Armeniis, non vero ritum; quod omiſſum profecto haud fuiſſet, ſi & in hoc a Græcorum gente ipſi diſcrepaſſent. Pariter in Monachali Orientis Hiſtoria paſſim legimus Græcis eadem in ſolitudine, vel monaſterio Armenios convixiſſe. Sic ad Sabbam fertur cum duobus ex Armenia ſolitariis confugiſſe tanquam ad ſolitariæ vitæ caput, & exemplar Hieremiam Armenum: ſic exul Chryſoſtomus inter Armenos Cucuſæ vixit, ubi, ſi qua Sixto Senenſi fides, N.T. in Armenam linguam traduxit: ſic alii Græci ritus Aſcetæ in Armeniam tranſiſſe exploratum eſt, poſtquam illuminator Gregorius, ejuſque filius Aroſtanus illi regioni & fidei zelo, & ſolitariæ vitæ ſtudio præluxerunt. Porro mutua hæc vitæ conſuetudo diverſo pſallendi ordine non memoratur diſtracta; & ſi quod occurrit Armenios impediſſe, ne unà cum Græcis eumdem in locum ad Officia convenirent; ſæpe unius linguæ diverſitati acceptum id referri deprehenditur. Præterea, Nierſe Patriarchalem Armeniæ cathedram occupante, Baſilius Cæſareæ Antiſtes juri ſuo ſubjectam Armeniam viſitavit; ibique non modo Sacerdotes, & Epiſcopos ex Armeniis renuntiavit, ſicuti Hiſt. Armenæ c. 6 Clemens Galanus teſtatur; verum etiam Divinorum Officiorum cantui cum iis populis interfuit, juxta viſitantium Epiſcoporum morem: quæ omnia ritum Græcum in Canonicis horis, perinde ac Sacramentorum uſu eo uſque ævo viguiſſe in Armenia ſatis produnt. Similiter a vetuſtiſſimis Sæculis in Armeniam introductus S Baſilii Monaſticus Ordo ab ipſius Regulæ profeſſoribus, diutiſſime perſeveravit, Deoque laudes perſolvit eo ritu [quod conjicere a vero haud abhorret] quo Monaci Græci perſolvebant e Baſilianæ regulæ inſtituto. Tandem non obſcura ſectati apud Armenios Græci ritus veſtigia deprehenduntur in ipſius Officii Armenii or-

di-

dine, sed cum primis in multiplici Completorio, quod, à Latinis unicum recitantibus, tam Græci quam Armeni discrepantes, percurrunt: uti enim Græcis triplex habetur Completorium, parvum, medium, magnum; ita Armenis duplex, quorum aliud majus in Ecclesia mox a Vesperarum cursu decantant, alterum minus in privatis domibus post refectionem celebrant, eoque celebrato, nefas cuilibet amplius quidquam cibi capere, vel colloqui.

Elaborandum nobis porro diutius non est probaturis Armenos a Græcis ritibus sensim sine sensu declinasse, atque peculiarem sibi ritum propterea, quædam in sacris immutando, quædam addendo constituisse; unde forte ingens illud odium, quo mutuos ritus uterque populus insectatur, promanavit. Quis Armeniorum in Sacris nesciat instabilitatem? A primo Cæsariensi in Cappadocia Metropolita jugum ii excusserunt, aliis subinde Græcorum sedibus se se subdentes, tandem non alium, quam proprium Catholicum agnoverunt, quod circa Concilii Chalcedonensis tempora contigisse opinatur Fridericus Spanhemius *Introd. ad Geogr. Sacr. p.* 2. Ad errores fidei jam adoptatos magis magisque profitendos, & novos quosdam ritus, prisco abrogato, introduxisse tam certum est, quam quod maximè. Ulterius huic suadendæ mutationi in promptu nobis essent exempla multa & infantium communionis, & festorum aliquot celebritatis, & Baptismi temporum, & usurpati ad extremam unctionem olei, &c. nisi pro omnibus sat haberemus Spondani testimonium, qui in Annalibus ad annum 1219. scribit Armenios *his temporibus circa jejunia, festa, & ritus sacramentorum quædam addidisse*.

Fide ac Religione in Orientalibus Christianis præstantiores sunt Maronitæ è Phænicia populi, Libani montis juga, vicinasque planities inhabitantes. Hos quingentos post sextam Synodum Generalem annis se se religiosissimè moribus, ritibusque Ecclesiæ Romanæ addixisse, ejurata Monothelitarum hæresi, perhibet Jacobus de Vitriaco Ptolemaidis in Syria Episcopus. Verum & si demus ab eo tempore in Romanæ fidei articulos concessisse gentes illas, non ita & in ritus concessisse possumus assentiri, quemadmodum enim an-

te

te illa tempora aliis ritibus a Romano inter sacra consueverant: ita & post ætatem illam, & temporibus nostris assuescere satis constat. Gabriel Sionita de Maronitarum ritibus sæculo XVII. *ad Niusium* scribens, non diffitetur apud gentes illas diverso Ordine, diversisque a Latina Ecclesia cæremoniis sacra peragi: atque ipsa in urbe Roma licet cuivis hanc rituum deprehendere diversitatem cum in Sacramentorum administratione, tum in Liturgiæ cursu, anno 1594. Chaldæa, & Syriaca lingua Romanis typis vulgato, ut Maronitis, ac Syris urbem adventantibus usui esset. Horarum Canonicarum quoque ritus a Latino discrepare tam certum, quam quod maximè. Sunt qui Ephremo Syro, & Ecclesiæ Edessenæ Diacono referant scriptum Officii divini Ordinem, quem Maronitæ orantes percurrunt: & ab his neque ipse dissentiam; cum maximè ab Ephremo scriptos etiam inter Missæ recitationem Maronitæ concinant Syriaca lingua elegantissimos, & eximiæ pietatis Hymnos. Singulæ divini Officii Horæ Præfatione constant, duabus, tribus, aut pluribus orationibus, quas æquo Hymnorum numero distinguunt. Pro temporum festorumque solemniis peculiare Officium habent precibus, Hymnisque exaratum, qui diebus congruant, sed a Romano semper diversum. Extare in Bibliotheca Laurentiana Membranaceum Codicem Syriaca lingua concinnatum jam ab anno Æræ Alexandri 897., videlicet Christianæ Epochæ 587. perhibet eruditissimus vir Joannes Lami in libro singulari *de Eruditione Apostolorum* c. 13. sect 3. §. 1. In hoc præter quatuor Evangelia *Syriaco Chaldaico Stranghelo charactere*, uti ex Commentariis ad hunc Codicem Petri Ambarachi Maronitæ, *descripta, continentur Tabulæ lectionum ad usum Ecclesiæ Maronitarum, quibus respondent ad marginem notæ nova manu adpositæ*. In Corpore ejusdem cum ipso codice antiquitatis, aliæ sunt, & ab his diversæ, *quæ lectionum tempus, & ordinem designant, & cum illis, quæ in Polyglotis exhibentur, non semper conveniunt*. Ex hoc autem liquet apud Maronitas pariter identidem, quod & apud Romanos contigit, Officiorum cursibus novam manum adjectam, idque vel ante Sæculum XII. cum laudatus Codex spectabat ad Hieremiam Maronitarum Patriarcham, qui Lateranensi Con-

cilio

cilio ſub Innoc. III. interfuit, quemadmodum ex notatis ad initium, & finem Codicis apertum eſt. Ut tamen, quod verum, non diſſimulem, præ aliis Orientalibus Romano ritui proprius accedunt in Miſſarum actione, a quo ſolum differunt, ubi ad Græcos mores deflectunt. Sed plura de his videantur apud M. De La Roque in ſuis ad Syriam, & Montem Libanum itineribus Gallicè anno 1722. vulgatis, & nos rurſus de his non contemnenda C. X. recenſebimus.

Si eorum obtineret opinio, qui Abyſſinorum Reginam autumant Candacem illam, cujus Eunuchum ſacris undis tinctum ab Apoſtolo Philippo, memorant Apoſtolorum Acta; jam æquam cum Eccleſia in Catholica fide vetuſtatem ſibi vindicarent, ut reipſa vindicant, Abyſſini ex inſito gentium omnium more ſibi majores, nataleſque undecumque ſplendidiores venandi: at cum aliis Arabiæ felici placeat Candacem illam, non Æthiopiæ imperitaſſe, ideo tantam ablegantes ab hoc populo longè, lateque propagato, antiquitatem, cenſent Sæculo dumtaxat VI., cum Orienti Juſtinianus hujus nominis I., ac Æthiopiæ Adad, ſeu David præeſſet, Catholicæ fidei nomen dediſſe; quamvis non alii deſiderentur, qui Sæculo IV. Chriſto hos populos genitos aſſeverent. Quemadmodum diverſis temporibus ad fidem Æthiopes translatos propugnatur; ita diverſo auctori referuntur iſtiuſmodi gentis uſitati ſacra inter ſolemnia, & officii recitationem ritus, ab aliis Orientis ſocietatibus diverſi, ſed Cophtis propemodum conſentientes, & hoc eò, quia olim ab Alexandrino Patriarcha Ægypti Cophti juxta ac Æthiopes regerentur, & hodie dum, etiam ſi diverſo ſubſint Antiſtiti, tamen a Cophto Alexandrino Patriarcha confirmationem recipit Abyſſinorum Abuna. Eorum Officii ordinem habemus exploratum a vulgatis Æthiopica lingua diurnarum iſtiuſmodi precum libris, quæ tamen lingua non vernacula eſt hodie apud eos populos, ſed alia vetuſtior, & abrogata jam exinde, cum urbs Auxuma fuit ab Æthiopibus relicta, teſte Ludulfo Hiſt. Æthiop. l. 1. c. 15. n. 6. & ſeq. Idem officii Ordo noſtris quoque regionibus liquet ex ipſius Cantu, quem Romæ in Eccleſia ſummorum Pontificum liberalitate his populis conceſſa proſequuntur. Longitudine ſua commen-

mendatur in primis : nam ad centum prope Pſalmos decantandos extenditur ; cum ſingulæ Horæ duodecim pſalmis conſtent, quorum unus tam in nocturnis, quam in diurnis ſemper legendus, eſt quinquageſimus, nimirum Pſalmus *Miſerere mei Deus*.

Georgianis ferro, victoriiſque clariſſimis nomen accitum eſt a Beato Gregorio, cujus patrocinio in pugnis confidunt. Magnam Aſiæ regionem inter Pontum Euxinum, & Mare Caſpium inhabitantes tam late difunduntur, quam vetus olim Iberia, & majoris Armeniæ pars extendebatur. Evangelicam legem a Magni Conſtantini ætate profitentur, ſacrum divini Eloquii ſemen Captivo perfundente, qui peſſimè Reginam ægrotantem corporis ſimul, animique incolumitati reſtituit. Ab hoc tempore gentem ſuam Chriſtum amplexatam eſſe, & venerari gloriatur Theimuraz Kan Georgianus Rex in litteris ad Urbanum VIII. die 5. Januarii *1629.* datis : *Ex priſco illo M. Conſtantini ævo ad hæc uſque tempora adeo tenaciter inſint in animis noſtris veræ fidei, Chriſtianæque Religionis ardor, & ſtudium, ut divino beneficio ipſis quoque penitus impreſſa præcordiis videantur*. Græcorum moribus ut plurimum ſe accomodant ſacrorum exercitiis vacantes; at quoad officium, eo errore tenentur, referente Petro Avitobli Clerico Regulari, ad eas gentes vera fide imbuendas miſſo, *ut non omnes illud recitent; ſed unus tantum, vel duo, aliis multis audientibus, & qui recitat, ut plurimum non eſt Sacerdos: quin etiam adſtantes ad ea, quæ dicuntur minimè attendunt, ſed aliis vacant negotiis*. Hæc inter alios multos Georgianorum errores ad Urbanum VIII. memorat ſupra laudatus Petrus Avitobli. Excidere nobis de induſtria patimur alias Orientalium Chriſtianorum ſectas, & ritus: cum de novo ſermo ſit nobis inſtituendus circa illorum fidem, ac mores Capite X., ubi de variis linguis, quibus varii populi divinas laudes perſolvunt, erit differendum. Quamobrem, ne quid ad hujus capitis complementum deeſſe videatur, ex Oriente rurſus trajicimus in Occidentem adnotaturi Germaniæ aliquas Diœceſes peculiari ſuo ritui etiamnum indulgere tam in Sacrorum miniſteriis, quam in Breviarii recitatione. Quod & Italiæ noſtræ ſicubi contingit, id profecto in Regio D. Marci Venetia-

rum

rum Sacello, ubi solemne sacris Majoris hebdomadæ cæremoniis est Rituale ab Alexandrinæ Ecclesiæ moribus haud multum disonans, & per totius anni decursum ea Psalmorum versio in divinis officiis decantandis obtinet, ex qua Magnus olim Gregorius Missarum Introitus, Responsoria, Tractus, Offertoria &c. quoad Psalmorum versus, concinnavit, nobisque ad hanc diem in Missalibus proponitur legenda. Hæc porro Psalmorum versio ea est, qua longe ante Hieronymi tempora utebantur Latinæ Ecclesiæ, dicta proinde a Patribus vetus, ac Itala ex Græco facile expressa, sed quo auctore, qua ætate, caliginosa temporum vetustas nobis quamlibet invidit cognitionem. Hæc quoque Divi Marci Ecclesiæ celebris versio audivit in omnibus Romæ Ecclesiis intra divinorum officiorum cantum usque ad Pium V. qui abrogato veteris Italicæ usum, huic vulgatam suffecit in omnibus Ecclesiis decantandam, exceptis nonnullis, hoc est Vaticana Romæ, Regia D.Marci Venetiis, Parochiæ Mozarabum ritui adhuc adhærentes Toleti, & Ambrosiana in Mediolanensi ditione, ubi tamen ex antiqua hac immutata nonnulla leguntur, quæ in reliquis Ecclesiis jam laudatis integra supersunt.

Rituum discrepantiam videre pariter licet inter Monachos cùm antiquos, tum recentiores. Consonantibus in sancto Officia celebrandi instituto Ægypti, Thebaidis, Palæstinæ, atque totius Orientis Monachos, rituum tamen diversitatem in hisce Asceteriis observarunt viri doctissimi, inter quos Cassianus, & Gregorius Proto Syncellus adversus Marcum Ephesinum apud Leonem Allatium de Synodo Photiana p. 531. *In ritibus*, inquit, *Ecclesiasticis consuetudo est varia. Nam Constantinopolitana major Ecclesia in celebrandis Officiis alio more utitur, alio vero majora monasteria, alio minora ad quietem accomodata, denique alia Sacerdotum Sacularium Ecclesia. Quin Tabenosiota in uno, eodemque Cœnobio varios jejunandi, psallendique modos habebant*. Eadem occurret officiorum dissonantia inter veteres, & novissimos D. Benedicti Discipulos, si cum hodierno eorum officio conferas ordinem, quem caput 8., 9., & 10. regulæ iis quondam præscribebat in hac recitatione servandum. Sed ne hic quidem consistit varie-

tas, hodie dum Monachi a Monachis ejusdem regulæ, & ætatis discrepant. Compertum est Cistercienses, & Carthusianos nonnulla in divino officio peragendo observare, quæ Benedictino ritui minime congruunt: imo monasteria ejusdem professionis invicem discrepare in Provinciarum diversitate haud ægre deprehendent, illorum Psalteria consulentes. A Monachis reliqui Religiosorum Ordines dissentiunt; & inter hos sua non desideratur varietas. Piano siquidem Breviario utentibus aliis, aliud multi sectantur, ut Carmelitæ, & Dominicanæ familiæ alumni. Præmonstratenses Romanum ritum amplectuntur quidem, sed in nonnullis variant. Porro ne latiùs serperet hæc, quæ latissimè diffundebatur decimo sexto seculo orandi varietas, & quæ ad abusum usque declinasset, Paulus, & Pius IV. deinde Pius hujus nominis V. irrumpenti licentiæ frenum constituerunt, omnes ad unam orandi formam adigendo Ecclesias, & Religiosas Congregationes præter eas, quæ legitima ducentum annorum præscriptione specialem sui ritum potuissent tueri, abrogatis aliis Permissionibus, Licentiis, Privilegiis, uno verbo, prætextu quocumque orandi ex alia forma ab ea, quam de integro Pontifices Maximi invexerant, adjecta insuper pœna non defunctæ obligationis aliter recitantibus. Nota est hac in re Bulla, quam Pius V. septimo Idus Julii anni 1568. in Breviarii reformatione edidit: quare ulterius circa ejus decreta non est immorandum.

Extremam huic capiti manum adjiciam monendo non quamlibet in divinis Officiis diversitatem, diversum ritum inducere. Minutiora sæpius occurrunt, quæ diversum quidem reddunt officium, a communi tamen ritu non excludunt. Sic non eadem Sanctorum colere Solemnia, alium Evangeliorum, aut Lectionum habere in quibusdam festis cursum, ac hujusmodi quædam ea non sunt, ut ad diversum ritum adducant, vel ut expostulari quis possit alterius ritus sectator, si forte contra propriæ Ecclesiæ consuetudinem talem in recitatione admittat varietatem.

An verò violati ritus habendus foret reus, qui alienæ versionis percurreret Psalmos; non injucunda videtur quæstio, nec omnino prætermissa occurrit apud moralis doctri-

næ

næ institutores. Profecto si de publica recitatione quovis idiomate celebrata, sive etiam de privato cursu, sed Italica lingua persoluto, sit sermo; grave quid hoc esse non diffiteor. At vero aliter sentiendum puto de aliis textibus in privata recitatione usurpatis. Palam id facere nemo non intelligit, quæ scandalis via pateret aliena lingua divinas decantare laudes; & in privato cursu audere vernaculo uti sermone, contra apertam fore Ecclesiæ mentem, est cuilibet exploratum. Nihil autem ex his in privato reliquorum textuum usu est metuendum. Quod enim gnigni potest scandalum, si, nemine audiente, diverso idiomate impositum absolvas pensum? Quæ contra alios textus proferri Ecclesiæ prohibitio potest? Hebraicum originalem Psalmorum textum esse negabit nemo; Græcus Septuaginta, Græcus Aquilæ, Symmachi, Theodosionis, aliorumque semper ab Ecclesia receptus fuit; imo omnes ab Ecclesia probatæ antiquitus versiones a Græca Septuaginta prodiisse testatur doctissimus Waltonus Proleg. 9 *Apparatus Biblici*, & Hieronymum versionem suam ad 70. interpretum concinnasse non est, qui in dubium revocet. Suum pariter calculum addidisse Ecclesiam Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ versioni quis ambigat? Syriaca vetustissima Orientalium omnium creditur, eamque Ecclesiæ omnes Syriacæ probant, retinentque. Ex duabus versionibus Arabicis alteram Antiocheni, alteram Alexandrini recipiunt fideles; & Syri Melchitæ, ut publicis usibus habent Syriacam, ita in privatis Arabica utuntur: Æthiopica tandem, cui Coptica, seu Ægyptia adjungenda videtur, passim usurpatur dispersæ per Africam Christianorum multitudini, ab hujus versionis usu numquam deterritæ in pluribus unionibus, quas cum R. Ecclesia inivit; potius vero datum eam servare in divini officiis, quemadmodum vel hisce temporibus in urbe ipsa resonare auditur ex S. S. Pontificum assensu in templo, huic nationi ad sacra peragenda liberaliter concesso. Profiteor tamen Chaldaicum illum ab his versionibus excipiendum, non secus ac vernaculum, qui Paraphrastica potius quam rigorosa versione textum exponit, & parvo in pretio semper habitus elt ab Ecclesia; unde pro eo illud ab Ecclesiæ placito argu-

mentum, quod pro aliis, mutuari non possumus. Negotium aliquod facesset quibusdam Romani ritus solemnitas, quam religiose servandam præceperunt S. S. Pontifices. At unum idiomatis discrimen a Romano ritu non extrahere recitationem, præterquamquod manifestum ex se videtur, docent gravissimi viri Emmanuel Sà, & Robertus Bellarminus.

Violati præcepti culpa sæpe quidem in eos cadit, qui officium a propria Ecclesia indictum libertati, vel desidiæ indulturi commutant in aliud, ex dicta varietate dumtaxat diversum, sed aliunde, quam ex mutato ritu, profluit crimen, ut Doctorum omnium in re morali sententia est, apud quos lato calamo differitur leve ne, an grave piaculum habendum sit officium officio ejusdem ritus subrogare, & an idem sit de quacumque intra eumdem ritum mutatione eliciendum judicium. Si quid hìc sentiam, ingenue aperiendum mihi est: equidem sicuti a gravi culpa liberarem assumptam ex solo genio, & desidia, raram, nec multò breviorem mutationem; ita frequentem, & majoris brevitatis non alia de causa admissam mutationem gravi crimini judicarem obnoxiam; ibi enim leviter, hìc graviter a Pontificis mente divertitur, indicentis, ut *in perpetuum ad horas ipsas diurnas, atque nocturnas ex Breviarii Romani præcepto, & ratione omnino teneatur*, quicumque earumdem obligatione devincitur. Cæterum quascumque in partes divisa trahantur circa hoc dubium Authorum ingenia: omnes ad unum in illud saltem consentire nunc debent, fas nemini esse die Palmarum Officium Resurrectionis recitare. Ex Apostolica enim Sede regnante Alex. VII. peremptorium contra hanc propositionem: *In die Psalmorum recitans Officium Resurrectionis satisfacit præcepto*, emanavit decretum, vetitumque sub Ecclesiasticis pœnis imposterum vel publicè, vel privatim ullam Probabilitatem huic asserto adscribere.

C A-

CAPUT IX.

Cantus Ab Apostolorum ævo Ecclesiis usitatus. Alia primis, alia posterioribus sæculis erat canendi consuetudo. Alterni cantus Author an Ignatius, vel Flavianus, & Diodorus audire debeant. Ex duplici ratione cantum suadente, rejicitur Petri de Bruis, & Valdensium error. Quanta olim cura canendi studium fuerit promotum, & posteriorum observantiæ consultum. Tollendi recentiores abusus. Canebant olim indiscriminatim omnes cum Clerici tum Laici. An per Laodicenam Synodum inhibitum fuerit Laicis in Ecclesia canere. Diluuntur Jansenii, & Quesnelli in hoc diSteria.

QUamvis Heterodoxi mille injuriarum plaustra in publicam horarum institutionem exonerent, nullumque non moveant lapidem, ut incautorum ludibrio eas exponant; eumdem furorem tamen contra cantus consuetudinem exercere, neque inficiari potuerunt, quin Ecclesia canendi ritum ab Apostolorum usque temporibus jure ferat acceptum, & ad nostram ætatem nunquam intermisso usu propagatum. Enim vero Paulum ad Eph. c. 5. scribentem, ad publicum cantum excitare fideles testatissima res est. *Loquentes vobis metipsis in Psalmis, & Hymnis, & Canticis spiritualibus*: & ad Colos. c. 3. *Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia docentes, & commonentes vosmetipsos Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus*. Scripturæ succinunt antiquissima Patrum testimonia. Justinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium ordine secunda, reipsa tamen, ut ex Eusebio, & Hieronymo peritiores Critici observant, primùm conscripta, Deum a Christianis Hymnorum cantu laudari tradit. *Gratos nos illi exhibentes rationalesque pompas, & Hymnos celebramus, atque decantamus*. Clem. Alex. in adhortatione ad gentes. *Si velis tuquoque initiare, & chorum ducere cum Angelis circa eum, qui est ingenitus, & ab interitu alienus, & qui solus est verus Deus; unà nobiscum canite Deo verbo*. De canendi consuetudine, tanquam longe ante sua tempora usitata, loquitur Chrys. homil. 36. in 1. ad Corinth. *Conve-*

veniebant olim omnes, & psallebant communiter. Egregius in primis, & ad antiquitatem, de qua agimus, stabiliendam accomodatus est locus Augustini c. 18. Epist. 119. cum ait. *De Hymnis & Psalmis canendis ipsius Domini, & Apostolorum habemus præcepta, & documenta*. Agunt de cantu primis sæculis frequentatum in Ecclesiis præter Dionysium, Tertullianus, Basilius, Hieronymus, Epiphanius, & alii Patres: immo ab Etnicis Scriptoribus Plinio, & infestissimo Christianorum hoste Luciano suppetunt hujus veritatis testimonia, quorum attestationes, utpote de re Ecclesiasticæ sanctitati consentanea maximi momenti esse nemo non intelligit. Lucianus itaque in Philopat. Occidentalium Christianorum ritus exponens, ita eorum voces mutuatus loquitur. *Ad Hymnos tota nocte decantandos vigilamus*. De Orientalibus autem sic Plinius l. 10. Epist. 97. ad Trajanum scribit. *Soliti sunt stato die ante lucem convenire, carmenque Christo, quasi Deo dicere secum invicem*.

Exterorum testimoniis plura, quæ rem suadeant, accedunt ab Hereticorum impietate petita exempla. Paulus Samosatenus, ut Patres Synodi primæ Antiochenæ apud Eusebium l. 7. hist. c. 10. certiorem fecerunt Romanum Episcopum Dionysium, aliis sceleribus illud addiderat, quod in locum Psalmorum, & cantus Ecclesiastici, Hymnos quosdam, & cantilenas instituerat, quas mulieres magno die Paschatis ad sui honorem media in Ecclesia decantarent. Donatistæ, abdicato Davidico Psalterio, aliquos sibi Psalmos, Hymnosque ad musicum concentum modulandos elucubrarunt, ut illustres viri tradiderunt, & præsertim Augustinus. Dementiam Meletianorum Psalmodicæ modulationi Choreas, atque tintinnabulorum sonitum interserentium exageravit Epiphanius l. 1. Hist. Eccl cap. 3. quos Judæorum, & Samaritanorum æmulatores dicit, non ex Psalmorum cantu, sed ex actis inter Psalmodiam saltationibus, *qua de causa etiam*, inquit alibi idem author, *magnus ille Athanasius perpetuo cum eis bellum gessit*. Arius, ut ex orat. 2. Athanasii contra Arian. elucescit, suam adornarat Thalejam, seu cantionem ad Soradis numeros compositam, qua impius Hæresiarca hominum, ac muliercularum animis suæ hereseos virus instillare

lare enitebatur catholicorum in hoc æmulator, qui ex suis castris homines ad virtutis affectum, ac fidei veritates percipiendas per Psalmodiæ, Hymnorumque cantum excitabant. Cur non memorem Apollinarem verum, ut pluribus audit, authorem vulgarium Psalmorum, quos Laodicena Synodus c. 59. proscripsit? Cur non hæresiarcham Hieracem, aliosque hujus surfuris homines, qui cùm Ecclesiasticum cantum vel evertere, vel æmulari ab Ecclesiæ exordiis præsumpserint, jam patere potest ad Ecclesiæ initia canendi institutum esse referendum? Quantum verò huic detulerint, adulta jam fide, totius Catholici orbis populi, tam multa, & probata pro hoc piissimo usu suppetunt quolibet sæculo monumenta, ut, nisi huic, vix alteri vera Traditionis ratio adstipuletur. Hinc Lutherani a suis conventibus non explodunt cantum, sed juxta adornatam ab eorum magistro anno 1523. Missæ formulam, & receptam cap. *de Missa* ex Augustana confessione methodum, publico cantu Novatoribus absolvuntur Liturgia, aliaque suæ Ecclesiæ Solemnia: quin diu post abrogatam ab impia Elisabeth in Angliæ Regno Catholicam Religionem, viguit cantus in divinis officiis usus ex ipso Reginæ præscripto; & mandante Cromuello, qui rerum summa apud Anglos a Carolo Rege obtruncato potiebatur, Psalmi post meridianam concionem non parvo temporis intervallo erant Dominicis diebus cantandi.

Porro etsi cum ipsa Ecclesia suam traxerit originem sanctissima hæc institutio: aliter tamen primis, aliter posterioribus sæculis hæc in usu fuit. Ab initio enim unus ad hoc institutus Cantor modulatè Psalmos concinebat, reliquis ex Clero, ac Plebe mente, spirituque prosequentibus, & solùm aliquid in fine Psalmi unà cantantibus. Hunc primorum fidelium in Divino officio cantando ritum fuisse Eusebii Cæsariensis evincit authoritas l. 2. c. 17. *Cum unus modulatè Psalmum canere exorsus fuerit; cæteri cum silentio auscultantes, extremas dumtaxat Hymnorum partes concinunt.* Sucessu vero temporis alternatim psallendi ratio fuit in Ecclesiam introducta, sed qua ætate, non adeo exploratum est. Socrates l. 6. c. 8. authorem exhibet Ignatium Antiochenæ Ecclesiæ jura ab anno Christi 68. ad 109. moderatum, quem, ait,

ait, hujusmodi canendi formam in suam Ecclesiam invexisse, cœlitus ostensa Angelorum visione, alterius ad alterum sanctissimæ Trinitatis laudes concinentium. Emunctioris tamen naris homines ad anilium fabellarum classem ablegantes hanc Socratis narrationem, sentiunt cum Theodoreto l. 2. c. 24. seriùs repetendam alterni cantus originem, & ejus initia ad annum dumtaxat 357. occupante Romanam sedem Liberio, & Constantinopolitanam Constantio, referenda esse; qua ætate Flavianus, & Diodorus conspicui non minus propter solitariæ vitæ inter urbis pericula rigorem, quam ob propugnatam fidem adversus Leontium Arianum Episcopum, atque promotum pietatis studium in plebe, adhuc Laici hoc sanctum inventum mirificè excogitarunt: *Hi Psallentium Choro in duas partes diviso, Hymnos Davidicos alternis canendos tradiderunt*. Hæc Theodoretus loco mox laudato. Ex Antiochena Ecclesia, quæ alternæ modulationis, consentiente Theodoreto, nec dissentiente Socrate, proculdubio prima sedes fuit, continuò in alias Orientis, atque Occidentis oras permeavit talis consuetudo. Locum hæc obtinuit apud Thebæos, Palæstinos, Arabes, Phœnices, Syros, aliosque apud Ephratem incolas, ut Basilius cognomento Magnus tradidit in aliàs adducta Epistola ad Cler. Neocæs. Hanc excepit in Constantinopolitana Ecclesia Chrysostomus; hujus usus in Occidente primum viguit Mediolani, Ambrosio excitante, inde reliquæ Occidentales Ecclesiæ eundem sectatæ sunt, & hactenus totus orbis Catholicus in sacri instituti exercitium piissime conspirat, &, ut licet conjicere, conspirabit ad finem sæculi, non quidem ex Decreto Damasi Pontificis, ut volunt aliqui; dudum enim ejus scripta, & reliquorum Pontificum Decretales ante Siricium commentitias esse, & sub finem sæculi dumtaxat septimi præpostera Religione confictas viri doctissimi observarunt, sed ex recepta consuetudine, per quam temporalis Ecclesia æternæ modulationem imitatur, ubi, ut est apud Isajam c. 6. Seraphim stantes supra Tronum Dei clamant, & alternis vicibus gloriam Deo exercituum concinunt.

Cur autem per cantum semper Deo laudes tribuerit Ecclesia facile est colligere: nam talem honorem Etnici Diis,

quos

quos pro veris numinibus habebant, dandum semper duxerunt, & ducunt, qui etiam num inter Gentilitatis caliginem infelicissimè versantur, quod in Sinensi & Jucurensi regno, aliisque barbaris regionibus modò usitatum, litteris mandarunt novi earum regionum lustratores, ac de antiquis historiarum monumenta testantur. Veteres Delii, Curetes, Indi nullum sine cantu offerebant Sacrificium, nullum Idumæi, de quibus eorum conterrigena, & Moysi coævus Job meminit. Antiquas, & olim feritate sua notas, Gallorum, Brittannum, Germanorum nationes non aliter, quam inter musicalia instrumenta Diis litasse, author est Diodorus Siculus. Romanis pariter idem fuit solemne pluribus in Sacrificiorum generibus, & præsertim in Armilustro, quod armati, tubisque resonantibus, celebrabant. Plato l.2. de legibus memoriæ consignavit veteres Ægyptiorum fictis numinibus varia musices genera dicasse, quæ diebus, ac cæremoniis constitutis, inviolabiliter essent canenda. Hinc illæ Hymnorum species aliis propriæ, nempe *Hypingòs* Dianæ, Cereri *Julus*, Veneri *Eroticus*, idest amatorius &c. immo eam Poeseos partem, quam Lyricam dicunt, solum ad Deorum laudes primùm spectasse haud obscurè indicat Horat.

Musa dedit fidibus Divos, puerosque Deorum.

Verum hujusmodi inter sacrorum celebritates cantus hebraicæ præsertim nationi fuit solemnis, a cujus antiquis rivulis haustum, suis filiis deinde propinnavit Ecclesia. Vix Ægyptia e regione, vindicato cum populo se se Moyses proripuerat, ut transfretati feliciter Erythræi gratias Deo ageret, exaratum a se canticum unà cum populo, & Maria sorore, resonante tympanorum murmure, cantavit. Quis ignorat qualis, quantaque Cantorum turba Solymæ versaretur templi servitio destinata? Paralip. 12., 19., 20. legimus 4000. Janitores, totidem Cantores fuisse obsequiis templi addictos, ut perpetuo fungerentur cantandi munere sub eorum Præfectis, quos Davide, ac Salomone regnante, fuisse feruntur Asaph, Heman, Idithus. In magnis per annum Solemniis feminæ ipsæ ad Cantum in templo sub Præfectis, Hebræo nomine Mnazcach dictis, admittebantur, & Scriptura perhibet Choros puellarum Arcæ præivisse, cum ex Cariath.

 Ja-

Jarim Jerosoylmam solemni pompa duceretur: testantur etiam alibi eadem divina eloquia filios, ac filias Heman cantorum Præfecti munus canendi coram Domino obiisse; ac Paraphrastes Chaldæus in Eccl. 2. 8. diserte tradit, a Salomone in templo Cantores perinde, ac cantatrices fuisse constitutas. Quamobrem cum nulla penè reperire sit natio, Religio nulla, vel vera, vel superstitionibus, ac mendaciis detestanda, quæ cantui ad Superum laudem non indulserit; sequitur talem magnificandi summi Creatoris ritum lumine naturæ humano generi insitum, Deoque maxime esse probatum.

Aliam addunt Patres causam, ex qua Dei laudes per cantum peragendas esse fuit institutum & a divino Spiritu, & ab Ecclesia, ut nimirum divina Mysteria faciliùs in corda hominum fluerent, utque ab animis suavi vocum modulatione mœror, & socordia bonorum operum ejiceretur. Audiatur Basil. homil. in Psal 1. *Quando Spiritus S. nos vidit ægre persuaderi ad complexum virtutis &c. quid fecit? nimirum Scripturæ suæ dogmatibus inspersit concinnam istam numerorum modulationem, ut auribus permulctis, ac delinitis melico vocum concentu, clam velut aliud agentes sineremus in animos nostros irrepere eloquiorum utilitatem*. Aug. l. 10. Confes. c. 33. *Adducor cantandi consuetudinem approbare in Ecclesia, ut per oblectamenta aurium, animus in affectum pietatis assurgat*. Quod ab experientia in se ipso didicisse Aug. dum Mediolani in Ambrosii Ecclesia assisteret, testatur l. 9. Confes. c. 6. *Quantum flevi in Hymnis, & canticis tuis, suave sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus acriter. Voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat affectus pietatis*. S. Thomas 2. 2. q. 91. art. 2. *Ideo salubriter fuit institutum, ut in divinas laudes cantus assumeretur, ut animi infirmitas magis provocaretur ad devotionem*.

Hinc & rejicitur, & perspicuum fit, quam perperam effutierit impius hæresiarcha Petrus de Bruis *Deum irrideri cantibus Ecclesiasticis*, & post ipsum eodem sæculo XIII. Valdenses: *Frustra tempus teri in cantibus Ecclesiasticis*; quæ nefaria dogmata, perinde ac alia ab Orco per hos revocata, multaque de novo conficta deliria proscripsit jam Concilium

La-

Lateran. III. ſub Alex. III. & Lateranenſe IV. ſub Innoc. III. præter plura in Galliis, & Anglia contra eoſdem celebrata Concilia.

Moneret me locus ut lato calamo exararem quantum in Eccleſia fuerit qualibet ætate cantus Eccleſiaſtici promovendi ſtudium, cum in hoc ſacrarum funtionum majeſtas quam maxime effulgeat. Sed paucis intelligatur ejus pretium. Ad fovendum Eccleſiaſtici cantus exercitium, Eccleſia ſedulam ſemper navavit operam, ut aliquos, ubicumque erat propagata, haberet miniſtros, quorum eſſet peculiari miniſterio Cantoris munere defungi, ſicut antiquiſſimus author Ignatius in Epiſt. ad Antioch. aliique pervetuſti Patres affirmant; & colligitur ex Conciliis, quorum conventus prima Eccleſiæ tempora ornavit, quale Laodicenum c. 15. Cartag. III. & IV. ubi Cantorum deputatio, miniſterium, & alia occurrunt, quorum munus adhuc in Eccleſia Græca ſine aliqua abrogatione perſeverat: narrat enim Morinus vir omni eruditiönum genere refertus in libris, quos de Ordinationibus conſcripſit, tradi in Græcorum Euchologio ritum conſtituendi per ordinationem Cantores, & ex aſſumptis Miniſtris, alios ad legendum, alios ad canendum deſtinari, his Pſalterio, illis Apoſtolico libro in ſolemni ordinatione exhibito. Maronitæ vero non minus antiqui hujus officii tenaces, neminem patiuntur ad Lectoratum aſcendere, niſi per ordinationem gradus Cantoris prius obtinuerit. At quia per ſolam ordinationem oriri non poterat exigita ad tale miniſterium peritia: ideo multis in locis apertæ fuerunt ſcholæ, in quibus juventus ad cantum erudiretur. Præſtat inter plures Romana ſub Gregorio Magno, authore planæ ejus harmoniæ, quam Gregorianum cantum nuncupamus, Gallicana ſub Pipino, Lugdunenſis ſub Carolo Magno, & Africana ſub iniquo Rege Hunerico: eaque erat cura, & honor in ludis modulatoriis frequentandis, ut ex iis, præſertim ex Romano, prodierint multi, quos Petrus habuit in Romano ſolio ſucceſſores, quales Gregorius II. Steph. III. Paulus I. Greg. II. authore Anaſtaſio Bibliothecario, & aliis. In eamdem curam viri Principes conceſſerunt, ne ſuæ ditiones tanto in divinis officiis deſtituerentur

 ſplen-

ſplendore. Qua de re Richardus hujus nominis I. in Anglia, Pipinus in Gallia, Carolus Magnus in Galliarum pariter, atque Germaniæ finibus, Carolus Calvus in iis regionibus, quæ in habita cum Lothario, & Ludovico fratribus partitione, ſibi obtingerant, Ferdinandus cognomento Magnus in Legionis, & Caſtellæ regnis, cantum authoritate ſua promoverunt non modo, ſed ſibi honori dedere Religioſi Principes ſe duces, & moderatores ejuſdem exhibere inter divina officia, ut de Carolo Magno fertur, ſi audiamus Monachum San-Gallenſem in l. de Eccleſiaſtica Cura Caroli Magni; & de Magno Ferdinando Caſtellæ Rege, ſi fidem damus Rodericho l. 6. de Reb. Hiſp. *c.* 13. *Eccleſiam Veſpere, & Nona, nocturniſque horis, & Sacrificii tempore frequentabat interdum cum Clericis, in Dei laudibus modulandis, interdum etiam vices cantoris explebat.*

Jam vero excitare Clericos ad Cantum decretis, atque exemplo Pontificibus, Regibuſque, res viſa quidem fuit opportuna, ſed quæ pium inſtitutum ab interitu planè vindicare non poſſet, deficiente forte in legibus vigore, certiùs in ſucceſſoribus exemplo. Dignitatum ergo, atque auri ſplendore proviſum, quæ poterat irrepere, ſocordiæ. Conſule priorem Gregorii IX. Decretalium librum, reliqua inter Eccleſiaſticorum officia occurret titulus *de officio Primicerii*, quem alio nomine Præcentorem, ſeu primum Cantorem, interpretantur communiter juris Canonici interpretes eò, quia ad hunc in primis cantandi officium, alioſque cantu inſtituendi pertinet obligatio. Huic autem & ſi ex jure ſimplex officium, peculiaribus tamen locorum ſtatutis, & privilegiis ſummorum Pontificum inter Eccleſiaſticas dignitates accerſeri donatum fuit. Licet hoc de ſuis Præcentoribus gloriari pluribus Apuliæ, & Siciliæ Cathedralibus: licet Romanæ, Lugdunenſi, & Venetæ Eccleſiæ: licuit Elienſi in Anglia, aliiſque pluribus, quas perinde, ac dignitatum inſignia conſulto prætereo. Præterire tamen non poſſum a multo ſæculorum intervallo Venetum Divi Marci Primicerium ex Patritio ordine ſemper delectum, ipſa fere ſibi vindicare Apoſtolico indulto jura, & inſignia, quibus Epiſcoporum majeſtas decoratur, Inſulam ſcilicet, baculum

culum, anulum, atque Sandalia, eademque in elevandis Clericis ad minorum ordinum gradus pollere authoritate, ut ex Bulla Alex. VIII. *Ad Apostolicæ dignitatis fastigium*, constat. Nec minus liberalitatis ad procurandam cantus diuturnitatem in dignitatibus, quam opibus elargiendis fuit. Joann. Diaconus in vita Greg. Magni l. 2. c. *6.* narrat a S. P. assignata fuisse nonnulla prædia, & habitacula Scholæ Cantorum, quam ipse Romæ instituerat, vel saltem omni cura instaurarat; si verum sit, quod aliqui volunt, Hilaro Pontifici primæ institutionis gloriam esse tribuendam. Concilium Emeritense apud Lusitanos sæculo septimo jubet, ut in tres partes Ecclesiæ redditibus distributis, tertia pars obtingat Primicerio, eroganda inter minores Clericos pro cujusvis diligentia, & progressu in cantum: *Ut a Primicerio juxta quod in officio eos præscit esse intentos, ita singulis dispensetur* c. 14. Pluribus in re maximè nota non detinebo Lectores: vix enim bene constitutam Diœcesim reperire est, quæ Cantorem aliquem ad aliorum institutionem publico sumptu non alat. Ex his omnibus mirum non est, si Episcopi evigilarint semper, ac evigilent, ut Clerici a teneris annis canendi regulas ediscant, in cujus peritia [secluso semper quovis palpandi studio] Veneta Diœcesis vix ulli est secunda, tanti fere ab omnibus fit, ac exercetur ejusdem studium. Qua de re impensè gratulandum indefessæ sollicitudini Patriarcharum nostrorum Petri Barbadici, & Marci Gradonici, quorum memoria in benedictione est; modò autem studio Francisci Antonii Corrarii, Marco in Veneto Patriarchatu suffecti, quem traditæ Ecclesiæ Clavum moderantem ut diu videat Venetus Clerus, ejusque vitam omnium virtutum genere præstantem suspiciat, atque imitetur, Altissimo repetita vota nuncupamus.

Cæterum quemadmodum Ecclesia maximè semper favit cantui verè Ecclesiastico, hoc est Religioso, modesto, atque omnibus numeris ad pietatem composito: ita semper execrata est molles, & enervatas Harmonias, quæ solum ad deliniendas aures, & meretricium cultum declinarent. Et revera quem religiosum animum non pudeat audire theatrali cantu resonare delubra, corrupta retortis vocibus fluere ad aures

res divina eloquia, sacrum chorum per scænicos homines agi, inflexis modulationibus adstantes exsibillare, prope aperto io ridiculis, ac dolosis vocum interceptionibus plaudere, & quasi hac dulcedine corruptellaque satis non sit quotidie mores inter theatralia spectacula depravari; ac, quod ajebat Romanus Orat. de leg. l. 2. *in mollitiem cum cantibus immutari*, sub Religionis larva effeminanti huic libertati etiam in Ecclesiis fræna laxare, ex qua quanti in sacra loca prodierint abusus; quorum habeatur conventus; quam faciem induant Deo sacrata loca, spectator, & testis quisque sibi ipsi facile esse poterit. Audiant interim hujusce cantus promotores ex Bethlemitico solo clamantem, cantusque normam præscribentem in Epist. ad Eph. c. 5. Hieronymum: *Deo non voce, sed corde cantandum, nec in Tragædorum morem guttur, & fauces, dulci modulamine colliniendas; ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur, & cantica, sed in timore, & opere, & scientia Scripturarum*. Qualis debeat esse Ecclesiasticus cantus præscripsit etiam Trullana Synodus c. 75. *Eos, qui in Ecclesiis ad psallendum accedunt, volumus nec inordinatis vociferationibus uti, & naturam ad clamorem urgere; nec aliquid eorum, quæ Ecclesiæ non conveniunt, & apta non sunt, adsciscere; sed cum magna attentione, & compunctione Psalmodias Deo, qui est occultorum inspector offerre*. Et novissimè apud Mechliniam Brabantiæ urbem anno 1570. habitum Concilium c. 10. *Cohibeant*, inquit, *Episcopi Cantores, Organistas, Campanarios, & alios quoscumque a lasciva, militari, & quavis indecora musica in cantu, Organis &c.* Quod jam injunxerat Tridentina Synodus sess. 22. in decreto *de observat. & evit. in celeb. Missæ*, ubi Episcopis imponit, ut ab Ecclesiis Musicam, seu Cantum lascivum, impurum, aut indecorum aliquid præseferentem eliminent: immo quòd vel femineus cantus decori sacrorum poterat obesse, vel res nimiæ licentiæ foret, ut feminæ iisdem cum Clero locis cantum exercerent, ideo utrumque ab Ecclesia legimus proscriptum: primum quidem a Synodo Antissiodorensi: *Non liceat in Ecclesia puellarum cantica exercere*: alterum vero adversus Pelagium, & Sabellium, quibus Alexandrinæ Ecclesiæ jam abrogatum morem instaurare

rare subjerat, ut nimirum alternis choris feminæ, ac viri sacra officia decantarent; quemadmodum legere est apud Hieronymum l. 1. adversus Pelagianos: nec non ab Innoc. II. in Concil. Romano c. 27. *Ne Sanctimoniales simul cum Canonicis, vel Monachis in Ecclesia in uno choro conveniant ad Psallendum*.

Ad Laicos venio, veteremque consuetudinem, qua Clericorum vocibus suam, ut adderent Laici, permittebat Ecclesia, quæ res, quamvis a prima alterni cantus institutione pro laicis de novo invecta, pateat, mihi tamen est antiquorum Patrum authoritate confirmanda. Pluribus, ut par est, præat Justinus Martyr in Apologia ad Antoninum Pium: *Gratos nos illi exhibentes rationalesque pompas, & hymnos celebramus, atque decantamus*. Patet ex aliis, de quocumque fideli sermonem hìc habere Justinum, quod clariùs insinuat in eadem, dicens: *Præpositum preces fundere, & populum faustè acclamare Amen*. Sequitur Cypr. de Orat. Dom. *Quando in unum cum fratribus convenimus, & Sacrificia divina cum Dei Sacerdote celebramus, verecundiæ, & disciplinæ memores esse debemus, non passim ventillare preces nostras inconditis vocibus*. Succedit Basil. M. in Epist. ad Cl. Neocæs. *Tandem ab oratione surgentes, ad Psalmodiam traducuntur, & nunc quidem in duas partes divisi, alternis succinentes psallunt*. D. Ambr. Hexam. l. 2. c 5. *Responsoriis Psalmorum, cantu virorum, mulierum, Virginum, parvulorum consonans resultat Ecclesia mari comparata*. Hieron. Præf. l. 2. Comment. in Ep. 2. ad Gal. exagerat plebis Romanæ pietatem ad sepulcra martyrum turmatim concurrentis, *ubi*, ait, *ad similitudinem cœlestis tonitrui reboat Amen*, & Epist. 1. ad Sabin. *Tota Ecclesia*, inquit, *nocturnis Vigiliis Christum Dominum personabat*. In Epist. 119. inter Augustinianas assignatur discrimen, quo Donatistæ a Catholicis in cantu dissidere solebant. *Donatistæ nos reprendunt, quod sobriè psallimus in Ecclesia divina cantica Prophetarum, cum ipsi ad Ebrietates suas, ad canticum Psalmorum humano ingenio compositorum, quasi tubas cohortationis inflamment*. Joannes ob insignem facundiam Chrysostomus dictus, hunc morem confirmat Homil. 36. in 1. ad Cor. *Conveniebant olim omnes, & psallebant communiter: hoc nunc quoque facimus*. Quid apertius?

Pau-

Paulinus Nolanus Episcopus in Epist. ad Victric. Rotom. Episc. ita fideles omnes in Ecclesia, ut Monachi in privatis suis oratoriis, cantibus divinæ laudis indulsisse testatur. *Quotidiano semper psallentium per frequentes Ecclesias, & monasteria secreta concentu certissimis ovium tuarum, & cordibus delectantibus, & vocibus*. In Provincia Bizacena Episcopus Victor Uticensis de Persecutione Vandalica l. 2. *Jam ob celebritatem festivitatis hymni nocturni, canente populo, per totam Ecclesiam concrepabant*; Turmæ populorum cum clero divinas laudes concinentium nobis tandem exhibentur a Venantio Fortunato tertio ex undecim Poematum libris, quos Divo Gregorio Turonensi Episcopo nuncupavit.

Pontificis monitis Clerus plebs psallit, & infans,
Sub duce Germano felix exercitus hic est.

Patrum testimonii adjungendum nunc esset commune suffraggium recentiorum, qui perlustrandis antiquæ Ecclesiæ ritibus operam locarunt, nisi hactenus recensita testimonia ea essent, adeoque clara, & perspicua, ut se solis rem planè evincere valeant.

Inquirendum nunc restat eccur silentium, & quando illud inter divinas laudes decantandas Laicis imposuerit Ecclesia. Circa causam paucis immorandum est: ea enim, quæ recto ordini ex multitudine in re qualibet oriri solent incommoda, etiam in Ecclesiasticum cantum per laicos celebratum irrepserant. Unusquisque enim popelli, aut saltem multi disciplinæ expertes æquè, ac impatientes, suoque genio incontinenter indulgentes, vocis modum, & corporis obliviscebantur; unde propietate risus, pro majestate contemptus in sacris functionibus patebat, de quo ævo quoque suo conquerebatur Chrys. homil. 1. in c. 8. Isa. *Sunt quidam inter vos, qui hæc audiunt quos ne vestræ quidem charitati arbitror esse ignotos, qui contemnentes Deum, ac spiritus eloquia pro vulgaribus, ac profanis ducentes incompositas voces emittunt, nihiloque meliores his se gerunt, quos habet insania, toto corpore tumultuantes, circumacti, moresque præseferentes a spirituali statione alienos. Mier, & infelix! oportebat te cum tremore, & reverentia Angelicam glorificationem resonare &c.* Hac ergo adducta ratione, sustulit Ecclesia antiquam con-

consuetudinem, statuitque, ne cum clero imposterum Laici canerent: sed quando, & a quibus id fuerit præscriptum; & si me non lateat ad Laodiceni Concilii tempora rejici communiter hoc decretum; mihi autem, ne communi sententiæ statim adhæream, quædam sunt, quæ gravem ingerunt difficultatem. Nam vel Laodiceni Concilii Epocha Nicæno Concilio anterior sit, ut Annalium conditor, Severinus Binnius, aliique contendunt; vel posterior, ut volunt veteres canonum Collectores, Dyonisium dico, Isidorum, Martinum, Burchardum, Ivonem Carnotensem, Gratianum, & recentiores communiter id probantes ex antiquissimo canonum codice, quo ante Dyonisianam compillationem utebatur Romana Ecclesia, quemque nuperrime in lucem emisit Quesnellus; vel, inquam, ante Nicænam Synodum, ideoque ante annum 325., quo Nicæni Patres unanimi Historicorum consensu suum auspicati sunt congressum, vel post celebrata fuerit Laodicena Synodus, ideoque anno 363. ut Cl.Pagius, aut anno 365. uti Doctissimus Petrus de Marca l. 3. *de Concordia Sacerdotii, & Imperii* opinatur, semper vacillat desumptum ex hoc Concilio contra popularem modulationem decretum; quia fidem superat morem tanta Religione, & bonorum plausu vix in Ecclesiam introductum, & per multas Orientis urbes propagatum, sustulisse Laodicenos Patres: incredibile pariter est sanctissimos viros contra Synodicam hanc constitutionem in suis Ecclesiis, & præsertim in multis Asiæ, ubi habita fuerat Laodicena congregatio; & unde fuerant ad hoc Concilium convocati plures Episcopi, cantum populi admisisse, vel retentum laudasse. Enim vero Magnus Basilius paucis a Laodicena Synodo annnis inauguratus Episcopus, nimirum anno 371., ut solide probat Pagius ad annum 370., ad suos Cæsarienses sermonem habens, eorum deprædicat pietatem in Deo laudibus concinendis: *Jam inde* [ita suum in Psal. 114. sermonem aggreditur] *ab usque Media nocte, quum hoc dicatum Martyribus templum subjeritis, ipsorum Martyrum Deum hymnodicis laudibus placabilem vobis reddentem, ac propitium*. Ambrosius Mediolanensis Episcopus anno 374. renuntiatus, authore Paulino in ejus vita, reliquis Occidentalibus Ecclesiis prævivit, plebem ad Ecclesiasti-

eam Pſalmodiam incitando: *Excubabat pia plebs, in Eccleſia mori parata cum Epiſcopo ſuo* [Ambroſio] *ſervo tuo. Tunc Hymni, & Pſalmi ut canerentur ſecundum morem Orientalium partium* [Nota: in pluribus ergo Orientis regionibus, ne dicam in toto Oriente, quod non immerito argui ex dictis verbis contendere poſſem, vigebat eo tempore inducta popularis catus conſuetudo] *ne populus mæroris tædio contabeſceret, inſtitutum eſt*. Hæc Aug. l. 9. Confeſ. Eamdem in Conſtantinopolitanam Eccleſiam introduxiſſe anno 390 Epiſcopali Criſmate linitum Chryſoſtomum, contra Arianos refert Sozomenus l. 8. c. 8. & jam ſuo ævo uſitatum populos in Eccleſia canere accepimus ab eodem Chryſoſtomo Hom. 36. in 1. ad Cor. *Conveniebant olim omnes, & pſallebant communiter, hoc nunc quoque facimus*. Nec aliam poſt Laodicenæ Synodi tempora fuiſſe ſuæ, atque Africanarum Eccleſiarum conſuetudinem ad Hipponenſis Eccleſiæ regimen erectus anno 395. prodit Aug. ep. 119. c. 18. ut miſſos faciam Hieron. Cæſarium, Vict. Uticenſem, alioſque permultos, quorum ſuffragiis probari poſſet poſt Laodicenum Concilium perſeveraſſe tum in Oriente, tum in Occidente popularis Pſalmodiæ cantum in Eccleſiis. Hæc de Pſalmis: idem de *Doxologia* ſentiendum, ſeu alio quopiam ejuſmodi pro coronide cujuſque Pſalmi decantato, ſi verum audiat, quod pertendunt aliqui *Doxologiam* nonniſi quinto ſæculo cani in Eccleſia conſueviſſe: numquam enim vero ſimile eſt, quod, frequentato a plebe integrorum Pſalmorum cantu, habitum inde fuerit minimi verſiculi in fine Pſalmi ab eadem ſilentium.

Quod ſi Pſalmodiæ cantum plebi ereptum non fuiſſe per Laodicenam Synodam, hactenus dicta ſuadent; multo minus interpretari licet amandatam a populo per eumdem canonem conſuetudinem canendi ea, quæ cum Clericis in divina Liturgia olim ſæculares canebant. Inter plura enim, quæ ab Apoſtolorum ætate cum clero populus celebranti ſacerdoti reſpondere conſueverat, ſolemnior erat mos concinendi *Kirie Eleiſon; Et cum ſpiritu tuo* poſt Sacerdotalem ſalutationem *Dominus vobiſcum*, aut Epiſcopi *Pax vobis; Amen* in fine Collectarum &c. Colligimus hæc ex pervetuſtis Jacobi Apoſtoli,

toli, Marci, Græcorumque Patrum Liturgiis, de quarum authoritate, & si dubitent plures, sincera ne an suppofititia sint tantorum authorum inventa; conveniunt tamen omnes antiquissima esse, & de habitis semper a populo in sacra oblatione vocibus, una fere est sacrorum Expositorum sententia, quod præterea colligitur ex Justino Martyre Apol. 2. ex Tertull. ex Authore Ecclesiast. Hierarchiæ, aliisque antiquissimis Patribus. At hujusmodi morem perseverasse in Ecclesia etiam mox a temporibus Laodiceni Concilii, & multò post non patitur nos dubitare gravissimorum Patrum authoritas, quod certe permissum non fuisset, si Laodicena lex vel hanc consuetudinem abolendam decrevisset. Occurrit in primis Greg. Magnus l. 7. Ep. 64. ad Joan. Syracusanum: *Kirie eleison*, inquit, *nos neque diximus, neque dicimus, sicut a Græcis dicitur, quia in Græcis simul omnes dicunt; apud nos autem a Clericis dicitur, & a populo respondetur*. Chryf. Hom. 18. in 2. ad Cor. *In tremendis Mysteriis ut sacerdos pro plebe, ita plebs pro Sacerdote vota facit. Hæc enim verba, & cum spiritu tuo, nihil aliud quam hoc significant*. Isidorus a Monasterio Pelusii, cui Abbas præfuit, Pelusiota nuncupatus quinti sæculi author explanans responsionem plebis, *& cum spiritu tuo*: hæc habet. *Illud quod a plebe respondetur, & cum spiritu tuo hanc habet sententiam &c.* Aug. l. 2. contra Epist. Parmeniani c. 7. *Cum Episcopus solus intus est, populus orat cum illo, & quasi subscribens ad ejus verba respondet, Amen*: Theod. in Epist. 2. ad Cor. c. 1. *Non solum sacerdos orans offert Hymnum, sed etiam qui Amen adjungit, est oblatæ glorificationis particeps*: oblatæ autem glorificationis in sacrificio participes sunt quilibet adstantes, ut ex communi Theologorum doctrina suppono: adstantes igitur omnes *Amen* offerenti Sacerdoti adjungebant. Quid quod Patribus nupero Laodiceæ Concilio subsecutis, adeo persuasum fuit legem nullam contra hunc populi cantum in Missa promulgatam fuisse in ea Synodo, ut non modo hujusmodi modulatio iis fuerit probata, ad eandem per ipsos plebs fuerit incitata; sed insuper, ipsis authoribus, cautum fuerit, ut imposterum eadem, ac supra, decantarentur inter missarum solemnia a populo? Id videre est in Liturgiis, quas concinnarunt Magnus Basilius, & post Basilium Chrysosto-

 mus,

mus, & quibus adhuc pro temporum diversitate utuntur Græci, nec non Græcis ritibus adhærentes Moscovitæ, Tartari, Colchi, Iberi, aliæqu enationes per Serviam, Mysiam, Bosniam, & minorem Russiam propagatæ. His adde Conciliorum decreta: Braccarense enim I. anno Christi 411. Innoc. I. P.M. celebratum, statuit can. 21. ut Episcopo divinam opem auguranti, respondeat plebs, *Et cum spiritu tuo*. En canonis verba. *Placuit ut non aliter Episcopi, & aliter Presbyteri populum, sed uno modo salutent, dicentes Dominus sit vobiscum, sicut in libro Ruth legimus, & ut respondeatur a populo, & cum spiritu tuo, sicut & ab ipsis Epistolis traditum, omnis retinet Oriens* [mendum irrepsit, lege Occidens] *& non sicut Priscilliana pravitas immutavit*.

Verum magis etiam fiet compertum, quantopere hujusmodi obligatio ab horum Patrum mente abhorreat, si ad examen revocentur canonis, quo id prohiberi autumant, verba. *Non oportet*, ait c. 15. dictæ Synodi, *præter canonicos cantores, qui ambonem ascendunt* [ambon autem, ut ad claritatem dicam, vel suggestus locus erat, Navi, & Sanctuario intermedius, ad quem per gradus aliquot ex inferiori navi patebat ascensus, muroque erat circumseptus, ubi plura ad Ecclesiasticas leges, & pœnas denuntiabantur populo, concinebantur Psalmi, sacræ absolvebantur functiones, ut nobis in Choro solemne est] *præter canonicos*, inquam, *cantores, qui ambonem ascendunt, & ex diphtera, seu membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*. Porro hæc verba, si attente perpendantur, plebi æque ac pluribus de clero videntur eripere facultatem canendi in Ecclesia. Prohibet enim Concilium, ne aliqui alii cantent in Ecclesia *præter canonicos cantores*, hoc est minores Clericos, & aliquando etiam pueros sola jussione Presbyteri ad hoc officium destinatos, ut ex c. 10. Concil. IV. Carthag. patet. Ergo cum Cantorum nomine haud comprehendantur Exorcistæ, Subdiaconi, Diaconi &c. his pariter dici posset vetitum omnino canere in Ecclesia. At si, quamvis hunc sensum præferant verba, nemo tamen affirmare audebit id fuisse a Laodiceno congressu statutum: cur igitur idem de populorum concentu affirmare non licebit? Neque vero laudata canonis verba in suspicionem addu-

du-

ducere licet, quominus de solis Cantoribus interpretanda sint, asserendo Laodicenos Patres per Cantores, clericos omnes significare voluisse, præcipue cum addant, ***qui ambonem ascendunt***, quem ascendere clericorum omnium erat, ut antiqua produnt Concilia: nam primò id sine alio fundamento adferre, hariolari est, non canoni legitimam adhibere interpretationem: deinde omnino antiquæ Ecclesiæ disciplinæ refragatur responsio, qua ut sedulo cavebatur, ne quis alterius ordinis, & institutionis usurparet in publicis officiis exercitium; ita Patres, & Concilia in assignandis Ecclesiasticis ministeriis eo accuratè utebantur nomine, quo proprius minister iis defungendis destinatus, non alius designaretur. Cum igitur Cantorum, non Clericorum, quod facillimum fuisset, vox adhibeatur in citato canone, exploratum est non omnes de Clero, sed peculiares tantum ministros ibidem denotari.

At Concilii Laodiceni decreto aliqua adversus canentes in Ecclesia emersit prohibitio: non contra eos, qui de clero erant; ergo contra populum. Non hoc negamus, dummodo intelligatur inhiberi eorum cantum, quæ sibi illegitima authoritate vindicarat populi licentia, non eorum, quæ legitimo usu canere consueverat plebs. Ut itaque, quid circa prædicti canonis verba sentio, aperiam. Puto interdici populo canere ea, quæ canonicis Cantoribus erant in ambone peculiaria, ut Sacrum librorum tum in missa, tum in officio Lectiones, Hymni ante oblationem, Responsorium post Epistolam, & alia hujusmodi, quæ sibi præter Psalmodiam, pluresque jam expressas cum Clero voces communia velle aggrediebatur populus, qui non nisi ægre in officio continetur, & uno concesso, multorum licentiam sibi frequenter arrogat. Vim nullam allato textui inferre hanc interpretationem, sed satis congruere fatebitur, quicumque mecum animadvertet prohiberi ibidem cani ab aliis, quam Cantoribus non quæcumque, & quæ aliquando memoriter, ut Psalmi, & parvæ in Missa responsiones cantari solebant; sed quæ Cantores ambonem ascendentes, atque ex membrana, ut nos ex libro, psallentes cantabant: ita canon. ***Non oportet præter Canonicos cantores, qui ambonem ascendunt, & ex Membrana*** *can-*

cantant, aliquos alios canere in Ecclesia : igitur cum solum a nobis afferta ita per Cantores psallerentur, quod de Epistola, & Evangelio, primum a Lectoribus, deinde circa octavum Sæculum a Subdiaconis, & Diaconis stabili ministerio in Missa decantato, de Lectionibus officii, & Hymnis nemo in dubium vocat; de Responsorio post Epistolam, quod colligo ex ordine Romano. *Postquam Subdiaconus legerit Epistolam, ascendunt cantores cum Cantatorio*, [hoc est tabula, in qua scripti erant versus post Epistolam canendi] *& dicunt responsorium*, cum, inquam, ea tantummodo sic canerentur; reliquum est, ut eorum canendi usurpata facultas solum dicatur ab hoc Concilio erepta populo; non secus ac gliscentem in re fere simili libertatem cohibuit Synodus Quin-Sexta c. 33., qua nimirum multi nondum ab Episcopo detonsi, sibique legendi publicè in Ecclesia, atque ex suggestu canendi officium vindicantes, arceantur imposterum ab exercendis Cantorum, Lectorumque vicibus: utque Septima Generalis Synodus Nicæna II. removit ab officio legendi in ambone nonnullos, qui sola parentum oblatione Ecclesiæ mancipati, nigrisque utentes vestibus *nondum accepta Episcopi manuum impositione, divinas Scripturas e suggestu legere non canonicè præsumebant.* Huc spectare censeo damnatam ab Ecclesia Encraticarum corruptellam, qui feminis ad Clericale ministerium assumptis, dabant legere ex suggestu Acta Apostolorum Joannis, Andreæ, & Thomæ, Acta ad Apocryphorum Classem postmodum rejecta a Gelasio Pontifice Maximo in Concilio 70. Episcoporum, anno 494. Romæ celebrato.

Quidquid tamen de Laodicena prohibitione sit, quam saltem usu receptam non fuisse pluribus in locis consentire omnes debent, etiam si omnino canendi consuetudinem populo eripuisse contendatur. Illud pro certo statuo, eum esse præsentis Ecclesiæ usum ab omnibus juxta Angelicum; & in omnibus æmulandum, ut promiscuè a Laicis Psalmodiam exerceri non permittat. Huic ergo consuetudini fasces submittere par est quemlibet catholicum, a qua multum abhorrent Calvinistarum conventus, ubi Laici omnes viri, & feminæ indiscriminatim cantant. Abhorret pariter Jansenianí gregis doctrina procaciter in Ecclesiam debaccantis, quod

ve-

veteri dissentiens, populo eripuerit solatium jungendi vocem suam vocibus Ecclesiæ.

Sed facile huc usque allatæ, & in hanc rem afferendæ postea querimoniæ evanescent, si statuamus, quod vel ipsi Jansenistæ dissimulare nequeunt, nempe ex iis unum hoc esse, quæ ad disciplinam spectant, & subinde, quæ ab Ecclesia institui, aboleri, mutari possunt pro locorum, pro temporum, pro hominum indole, ac necessitate; quemadmodum pietas, prudentia, & optimum regimen, divinique cultus ratio postulet. Cum itaque externum Religionis Catholicæ exercitium, atque cultus maxime eluceret antiquitus, nec quid ejus decoris imminueretur a populari cantu, ritum hujusmodi ab Apostolis usque arcessitum, commendavit vetus Ecclesia, peculiaribus etiam statutis imperavit. At abusibus, aperto ostio, dedecore pro majestate in sacras functiones irrepente ex hoc cantu, recentior Ecclesia veluti quid conducibilius diversum usum introduxit, priorem abrogavit. Certe ante susceptionem Euch. sibi invicem in signum pacis oscula figebant antiqui fideles: qui ex Evangelica professione convenerant intra Ecclesiam, appositis mensis reficiebantur post participatam Synaxim: a Baptismo sacramenta Confirmationis, & Eucharistiæ non separabat Ecclesiastica disciplina: populorum suffragia admittebantur in Clericorum, atque Episcoporum electione: nemo divinis Mysteriis assistebat, quin simul de sacra mensa participaret, vel ei sumendæ clerici saltem omnes ministrantes adstringebantur primis quinque integris sæculis: in manus laicorum divinam Eucharistiam dari mos fuit, & centum hujusmodi, quæ immutare, aut abolere justis de causis sibi Religioni non duxit Ecclesia, neque arguunt ipsi Jansenistæ: cur ergo reprensioni obnoxium volunt jus, quod in re simili populorum Psalmodiam antiquando sibi usurpavit Ecclesia?

Verum hæreticis, & Janseniano cœtui præsertim ars peculiaris hæc est. Fucum populo faciunt, ut Ecclesiæ creent, invidiam; fucatam, & adscititiam pietatis speciem præferunt, in moribus rigorem exigunt, ut liberiùs in membra Ecclesiæ grassentur, suosque errores disseminent. Hunc esse corticem, hos fructus talis vineæ testatur Clem. XI. in

Bre-

Brevi ad Catholicos Bataviæ conſcripto, & in celebri Conſtitutione *Unigenitus*, ubi *ſplendida*, ait, *pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis, ſub imagine ſanctitatis*. Mirum itaque non eſt, hanc etiam de admittendo populo ad cantum Eccleſiaſticum ab iis diſpergi propoſitionem inter alias,quæ ſeveriorem primævæ Eccleſiæ diſciplinam, & rigorem inſtaurant circa ſacramentalem Abſolutionem, Satisfactionem, & Euchariſtiam, quas dudum Alex. VIII. diris devovit in Bulla *Sanctiſſimus* anni 1690. & nuperrime Clemens XI. in cit. Conſtit. *Unigenitus* confixit hanc inter Queſnellianas 86. *Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei*. Cæterum nihil a Clemente, ut fingit Queſnellus, conſtitutum hic eſt contra Pſalmodiam in nonnullis Europæ partibus, & præcipue in Galliis, ut audio, uſitatam, qua Laici, perinde ac Clerici canentes divinis indulgent laudibus. Hoc decreto eos unicè damnat Pontifex, qui generalem Eccleſiæ praxim hac in re improbant, nullam de novo legem inſtituit; nec quid proſcribit, aut immutat eorum, quæ in peculiaribus locis vigent. Si quod adhuc antiquitatis veſtigium alicubi ſuperſit, nec ſuperſtitioſo errore deturpatum, licet cuipiam propriæ Eccleſiæ conſuetudinem ſectari juxta monitum Ambroſii ad Auguſtinum. *Ad quam forte Eccleſiam veneris, ejus morem ſerva, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi*. Quanto ergo magis Eccleſiæ ad quam non venit, ſed in qua vivit, & commoratur poterit quiſquam ſervare conſuetudinem.

Et quandoquidem ad priſcam Eccleſiæ praxim cum Queſnello provocant Janſeniſtæ; juvat retroacti temporis veſtigia rimari; atque in iis legere non omni populo ſemper fuiſſe moribus priſcis comparatum dare id ſolatii, ut vocem ſuam voci totius Eccleſiæ jungeret. Qua in re homines adeo antiquitatum Eccleſiaſticarum periti ignorare non poterunt ſacris officiis vel planè amandatos, vel ſaltem ad diviniorem illarum partem non admiſſos Cathecumenos, & Pœnitentes iis temporibus, cum Eccleſiæ conſuetudo ferebat horum varias claſſes diſtinguere, eamque conſuetudinem

ejus

ejus in Eccleſia fuiſſe antiquitatis, ut vel Novati tempora præceſſerit, vel ipſius ætate, hoc eſt ſæculo III. obtinuerit. Ad hæc in animum revocent quanta ſecretò forent a Sacerdotibus Eccleſiæ nomine peragenda, queis adſtanti populo vocem ſuam addere vetus diſciplina non dabat. Certè Laodicenæ Synodi can. 19. loquitur de orationibus in Eccleſia ſecreto habendis: paſſim in Jacobi, Clementis, Baſilii, Chryſoſtomi, nec non in Syrorum, Armeniorum, atque Neſtorianorum Liturgiis alia ſubmiſſa voce ſacerdoti pronuntianda jubentur, & proinde populorum auditui ſimul ac vocibus erepta; alia voce alta proferri mandatur; & Canonem ipſum Miſſæ jam ab Eccleſiæ incunnabulis voce ſubmiſſa celebrantes legiſſe, teſtes nobis ſunt Cardinales Bellarminus, Bona, du Perron; Carolus du Treſne, aliique, quorum opinione fit ipſos Janſeniſtas potius Apoſtolicæ praxi refragari, dum, Chryſtophoro Pfaffio adnotante, *Miſſæ canonem ſonora voce ab aliquot annis percurrunt*. Atque ut ad rem noſtram ex recenſitis priſcæ Eccleſiæ conſuetudinibus, aliiſque, quas in promptu eſſet proferre, concludamus. Si Eccleſia ab Apoſtolica ætate potuit quibuſdam ex populo eripere ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ: ſi ab eodem ævo potuit omnem populum in aliqua ſacrorum parte hoc ſolatio prohibere; cur hodie non poterit? Cur invidiam hac de re illi apud incautos creant Janſeniſtæ, quaſi ab Apoſtolicis conſuetudinibus per ſummum nefas deflexerit?

CAPUT X.

Qua lingua olim persoluta fuerint divina officia ; qua nunc utantur Nestoriani, Jacobitæ , Maronitæ , & Græci ; qua Moschi , Tartari , Sclavi, Armeni, Æthiopes , Cophti, Georgiani , aliique Orientales, ac Occidentales Christiani, ubi plura simul de tempore, & autoribus, queis in vernaculam eorum linguam fuerant sacra Biblia translata ; nec non multa de eorundem amplitudine, erroribus, & resipiscentia referuntur. Liberatur ab Hæreticorum conviciis Romana Disciplina, inhibens sacrorum usum lingua Vernacula.

DIvino spiritu potiti Apostoli cum aliis in Cœnaculo congregatis discipulis, linguarumque omnes dono cœlitus repleti, ut Evangelicam lucem propagarent, & gentium agerent salutem, mox *cœperunt loqui variis linguis* [sunt verba Lucæ Act. 2.] *pro ut idem spiritus dabat eloqui illis*, & dedit usque ad extremam lucem, dum per universum orbem dispersi novæ legi hominibus proponendæ elaborarunt. Quomodo enim Persis, Medis, Æthiopibus, Indis, Ægyptiis, Thracibus, aliisque extremo sub sole repostis gentibus Evangelicam Religionem potuissent annuntiare ? Quomodo prædicata mysteria accepissent gentes ? Quomodo magnalia Dei suspexissent populi ? si diversis omnium linguis locuti non fuissent Apostoli. An voluerit Deus convertendum populum ad intelligentiam penitus ignorati sermonis ita elevare, ut loquentes ignota lingua Apostolos intelligeret ? Sed tam continuum, universale, & multis nationibus, ac tempore multiplex miraculum ab Erasmo, aliisque multo ante confictum, cui non erit suspectum ? & si unico, ac simplici prodigio Evangelicæ propagationi consulere poterat Deus, quis non exsibilet multiplex, præsertim ubi nulla exposcebatur necessitate ? Propagandæ itaque fidei mysteria singulis gentibus proprio quarumcumque idiomate non exotico, ac peregrino explicarunt Apostoli, eadem vernacula lingua Scripturas, & Prophetias, quibus novæ fidei stabiliebatur veritas, edocuerunt, nec alia quam populari, cunctisque nota lingua divinas Scripturas litteris mandarunt. Constat hoc

hoc ex Scriptorum consensu, quibus arridet Matthæum Hebræo, aut Syriaco Sermone suum conscripsisse Evangelium, Marcum, & Lucam Græco, Græco item suam primam Epistolam Apostolorum Principem, Syriaco, quam ad Hebræos misit Paulus; ideo quia familiaris ille erat sermo iis, inter quos scribebant, vel quos per sua scripta in nova Religione illustrandos, & confirmandos suscipiebant primi Evangelii Præcones.

Ex hoc sequitur eam divinæ Scripturæ partem, qua potissimum Deo laudes offerrimus, nimirum Psalmos, translatam quoque Apostolorum tempore in linguam communem, & propriam gentium quarumcumque; & proinde eadem lingua publicam Psalmodiam ab initio ubicumque fuisse peractam, tum ut gentes scirent, quæ loquerentur; tum ne fraudis timor irreperet inter Neophitos, si ad Dei gloriam per ignotum sermonem excitarentur; tum denique [& hoc de tota Scriptura intelligendum] ne ut novæ fidei; ita & linguæ rudimenta tradendi onus subirent Apostoli iis saltem, quos sacrorum adsciscebant socios, atque ministros. Et revera V. Cl. Augustinus Calmet Differt. in Verf. Lat. Psalmorum disertè affirmat primam Psalmorum in Latium Idioma versionem, adornatam ab ipsis Ecclesiæ exordiis in gratiam eorum, qui Græcas, Hebræasque linguas ignorabant, ut publicis orationum conventibus usui esset. Idem laudatus Auctor art. 5 §. 1. cit. Differt. fert judicium de Syriaca versione, quæ ad publicos usus spectat: & *ad exordium annuntiati Evangelii apud Æthiopes* spectare Æthiopicam versionem facile affirmari posse opinatur idem Calmet; nec alia, quam vernacula lingua, exoriente fide, celebratos publicos orationum conventus evincit apertè Apost. ad Cor. testimonium, ubi de publicis precibus agens asserit benedictioni Corinthium populum nunquam responsurum *Amen*, quia sermone tum Corinthiis ignoro elargiebatur benedictio, quo imposterum, ut cum D. Thom. communiter interpretes, sacras functiones celebrari vetat: *Quomodo*, ait Paulus, *dicet Amen ad tuam benedictionem*, *quoniam quid dicas*, *nescit*. Cujus Apostolici præcepti tenaces etiam num esse videntur Orientales populi, de quibus mox.

Apostolorum morem imitati sunt subsecuti aliquot Pontificum; nam ubi populosissima aliqua natio Christo initiari cœpit, permiserunt, ut ipso ejus sermone pervulgarentur Evangelia, Scripturæ, & Ecclesiastica officia, quòd nova lingua brevi temporis intervallo erudire gentes difficillimum sit, facillimum verò ad vernaculam linguam easdem Scripturas, & Officia transferre. Sic Joan. VIII. divina officia peragi Sclavonica lingua indulsit Slavorum Principi; & proximè elapsis sæculis ipsa facultas impertita fuit Cinensibus populis, ubi per Evangelicos homines ad eas plagas lux novæ fidei penetravit.

Utentibus itaque in publicis etiam precibus communi idiomate Apostolis, factum est, ut inter divinas laudes versari tanquam celebriores auditæ fuerint olim linguæ Græca, Syriaca, Hebræa, & Latina. Huic Occidentales plurimi, illis Orientales populi vacabant; quod alterutrum ex his in Occidente, atque Oriente vernaculum esset, & nullis penè ignotum idioma: sed longa sæculorum serie, armorumque ingruente colluvie evenit, ut avitum sermonem oblivscerentur populi, novumque, novis Dominis, & gentibus invadentibus Provinciis, sermonem addiscerent; ac ita, quæ prius vernacula erat lingua, & popularis, ignota fieret, & prorsus aliena. Enim vero subactæ a Romanis Septemtrionales regiones latio sermone penè ad unam potiebantur: at decedentibus a Romanorum jugo, decesserunt, & a Romano idiomate, exorta varia linguarum corruptella, qua Galli, Itali, Hispani, Germani invicem discrepant. Idem fatum contingit Syriacæ, & Græcæ linguæ in Oriente: iis enim propter varias populorum incursiones successerunt Turca, Arabica, Persica aliæque, quibus diversa Orientis regna scatent, inter quas modò Magnatum aulas, ut plurimum Persica occupat, nec ab hac rerum humanarum vice immunis fuit Hebræorum lingua, patrium non modo solum immutata, sed lapsu temporis, multisque captivitatibus adeo antiqua ipsis hebræis, ut vix ab initio nostræ Religionis, ne dum hodie, pauci superfuerint, qui veram optime callerent; imo tantam mutationem neque effugerunt, quæ ex præcipuarum linguarum corruptione emerserunt idiomata. Id videre est in veteri Francorum, quod vix ulli Gallo

nunc

nunc intelligitur, & in Germano, ac Hispano sermone, ab antiquo ita dissimili, ut ipsam obtineat apud Recentiores terrigenas obscuritatem. Huic vero mutationi obnoxiæ non fuerunt in rebus divinis recensitæ linguæ Syriaca, Græca, Latina, & Hebræa, uti ab initio fidei obtinebat. Corruptus fuit quidem popularis sermo; non ita in sacris usitatus; vel edocuerit populos a Religione insitum lumen non esse ex abusibus, & privata authoritate in sacras functiones novitatem introducendam; vel invigilarit Ecclesia, ut inconcussa maneret in sacris Officiis semel instituta lingua, ne erroribus pateret ostium, quod facile eveniret; si cum populari, etiam sacrum sermonem immutare liceret, qui aliquando vel unius syllabæ, aut accentus additione, sive detractione immutatus, præcipua fidei mysteria convellit, ut nunquam satis reprobanda Arii impietas contra filii consubstantialitatem, & Nestorii adversus genitam a Virgine divinam personam, heu nimium testatur!

Hinc liquet, quare olim Missa, & Officia vernacula celebrarentur lingua, nunc ea, quæ populis frequenter ignota est celebrentur. Hujusmodi enim mutatio non Ecclesiæ, sed populis referenda est. Si quod olim usitatum erat, perstitisset ubique idioma, persisteret adhuc prisca consuetudo habendi sacras functiones communi lingua; illo demto, desiit & antiquus mos; siquidem nihil aliud hac in re servatum habetur ab Ecclesia, nisi ut quo idiomate primum institutæ fuerant, eodem semper publicæ preces decantarentur, imitata Israeliticam gentem, quæ dum patrio potiretur imperio, hebraicè Deo Hymnos laudis decantabat, nec ab ea lingua recessit in divinis, etiam si Babylonico mancipata jugo cum libertate avitum sermonem in prophanis conventibus amisisset.

Porro & si cum Legalibus cæremoniis Hæbraica lingua, non ita tamen antiquus Syriacæ, Grecæ, & Latinæ linguæ usus in sacris ritibus abolevit, sed eo utuntur per universum orbem disseminatæ variæ Christianorum nationes. Syriaca lingua familiaris est Nestorianis, & quibusdam Jacobitis. Colunt hi populi diurna sæculorum serie a vera Religione divulsi Orientales plagas, & ingenti numero vivunt diffusi per

per Syriam, Chaldæam, Mesopotamiam, Arabiam, Persidem, Indias, aliasque finitimas Asiæ regiones. Nestoriani ut nomen, ita errores Nestorii sequuntur, quem veluti Sanctorum albo adscriptum in publicis precibus implorant. Jacobitæ ita dicuntur a Jacobo Syrio, qui, Imperante Anastasio, per totam Asiam Eutychetis hæresim disseminavit; eique adeo adhæserunt, ut Jacobitarum nomine Eutychetis Sectatores indigitati fuerint, & indigitentur, licet Eutychianus vetus error procul sit nunc ab his, excogitato in Symbolo Athanasii modo, quo antiqua explicent, temperentque deliria. Numero longè præstant Jacobitas Nestoriani, qui suarum Ecclesiarum fines ad Tartarorum, Mosulorum, & Sinarum usque imperia extendunt, ut oculatus testis Marcus Paulus Venetus fidem facit, immo in ipsa Regali Sinarum urbe Nestorianos propriam habere Ecclesiam idem Polus testatur. Diu jurisdictioni unius Patriarchæ vixerunt obnoxii, qui R. P. jurisdictionem æmulabatur, atque potestatem: quemadmodum enim hic per Occidentales, Orientalesque plagas Archiepiscopos creat, atque Episcopos; ita ille per Chaldeæ, Syriæ, atque Indiarum urbes suæ confessionis homines Episcopali dignitate decorabat. At vero, Julio III. vices Christi in terris gerente, in duos Præsules tanta scisa fuit potestas: cum enim tædium Nestorianorum alios occupasset, quod a centum prope annorum decursu Babilonensi insula eadem familia potiretur; isti a veteri descifcentes, Episcopalia jura ad Simeonem Sulaka S. Pachomii regulas profitentem, detulerunt, confirmatione renuntiati Antistitis a R.P., ne quis adversari posset, exorata; immo ipsum Neophitum Patriarcham ideo Romam ad Julium Pontificem perrexisse in ipsius Julii apud Ciacconium vita legimus: *Simeon Sulaka ab Ecclesia Orientali ad Julium missus, vir moribus egregiis, eximiaque doctrina ornatus sua Ecclesiæ litteris Syriacè scriptis Romam accessit, quibus, ut eum Patriarcham a civibus electum confirmaret, Pontifex rogabatur. Id Julius benignè annuit.* Cum Nestoriani, tum Jacobitæ Antistites Romanæ Sedi non semel jurata fide accesserunt, illudque in primis Nestorianæ genti contigit, ut post execratos errores locum inter Tridentinos Patres obtineret ejus Patriarcha Pii IV. concessione, cujus

fidem

fidem utinam omnes Nestoriani Præsules, atque in ipsius sedem suffecti Patriarchæ imitarentur!

Syriaca pariter in divinis officiis utuntur lingua Libani Montis, & affinnium locorum incolæ, Maronitæ, nondum apud eruditos comperto, an nomen deducant a Joanne Marone, qui nomen a Marone celeberrimo conditi cœnobii, ubi religionem ille profitebatur, Abbate deducebat; seu potius ab hoc S. Marone Abbate; vel, quod alii volunt, a Maronia Syriæ oppido. Nobis conjiciendo haud aberrare videmur, si inficias ibimus ab hoc sanctissimo Abbate nomen has gentes mutuatas. Nam primo, quid huic Sancto viro fuit cum montis Libani accolis in eorum ad fidem conversione, unde nomine ejus inde potuerint donari? Perspicuum sane est ante annum Christi 460. Evangelicis vexillis fuisse has gentes adscriptas, Simeonis Stilitæ adducente exemplo, ac verbo; quemadmodum eruditissimus ex hac gente Bibliothecæ Orientalis Scriptor tom. 1. testatur ab Actis Stilitæ Simeonis per Cosmam Syrum Stilitæ coævum exaratis: *Primum exhibet tempus conversionis incolarum Libani, quos idolatras usque ad Simeonis ætatem fuisse clare docet Cosmas; consonant Acta Cyrilli, & sociorum in jugis Libani*. Deinde Sanctus Abbas Maro Ecclesiam pietate sua, sæculo tantum V. ineunte, illustrabat: hi vero populi jam sæculo VII. occidente, non Maronitæ, sed Libaonitæ, ac Mardaitæ vocabantur: Libaonitarum nomine dictos liquet ex memorato Joanne Marone, ne dum ad Antiochenum tronum assumpto; ita enim concinnatam a se pro his populis instructionem inscripsit *Libellus fidei ad Libaonitas:* Mardaitas porro sæculo eodem nuncupatos, testis est nobis doctissimus Petavius, qui p. 1. l. 8., c. 3. Rat. temp. de illorum clade per Justinianum II. tentata disserens, ex Theophane Mardaitarum nomenclatura eos recenset: *Mardaitas Libani incolas unicum Saracenici nominis terrorem, ac robur de Libano detraxit*. Citius itaque crediderim accitum his nomen a Joanne religiosam vitam in S. Maronis cœnobio profitentem, a quo monachi illi Maronitæ nuncupabantur, Baronio testante in Not. ad R. Martyrol. 11. Kal. Nov *Ejus Monachi appellati sunt Maronitæ, sicut a Studio Studitæ, a Sabba Sabbaitæ*: nam per Syriam grassantem Nestoriano-

norum hæresim scriptis persecutus Joannes, omnem collocavit operam, ut hanc a Libani accolis propulsaret; simulque jam Antiochenus Patriarcha ad illas gentes confugit, iram declinaturus Martii, ac Martiani Justiniani II. Ducum, qui Monachis quingentis interfectis, S. Maronis cœnobium solo æquarunt, ne inulta remaneret Antiocheni Præsulis cum P. R. Sergio conspiratio adversus Trullanam Synodum Justiniani II. jussu congregatam. Jam vero quis non videat, quam æqua conjectura opinemur ab homine de se adeo optimè merito populos istos novum nomen, veteri omisso, potuisse mutuari; imo re ipsa mutuatos. Sinceram ne verò, an Eutichiano errore pollutam ab hoc Patriarcha fidei institutionem hauserint Maronitæ; perinde in incerto, ac de nomine, res est. Berevod, cui adhæret P. Sachini Soc. Jesu, contendit a fidei puritate semel recepta, numquam fuisse degeneres Maronitas: quod si aliqui eorum libri Monothelitarum hæresi leguntur infecti, dolo id contigisse autumant hæreticorum, quibus immixti sæculo præsertim XII. vivebant. At vero in Monothelitarum partes concessisse populos istos testis nobis præit Guillielmus Tyri Archiepiscopus, cui addendus Jacobus de Vitriaco Ptolemaidis in Syria Episcopus, affirmantes Maronitas, ejuratis erroribus, fuisse in Romanæ Ecclesiæ sinum, ac societatem receptos: & quidem si ab actis errores rectractantium, licet absque dubio illis adoptati erroris notam impingere, tam perspicua sunt Maronitarum ab errore palam resilire se profitentium Acta, ut in meridie cæcutiret aliter obnitens. Quid enim? An non supersunt certissima monumenta hæresis execratæ, & anno 1182. coram Emerico Patriarcha Antiocheno, & rursus anno 1445. sexto nimirum a Florentina Synodo absoluta, coram Eugenio IV. qui speciali Decreto abjuratam Monothelitarum ab iis professionem, juratamque Ecclesiasticis definitionibus fidem approbavit, & jam duobus ante sæculis in Concilio Lateranensi IV. coram Innoc. III., quo Maronitarum Patriarcham Hieremiam, erroribus nuntio dicto, in oblatæ dignitatis sede confirmavit? Alia post hæc unionum fœdera sub aliis Pontificibus instaurarunt quidem, non tamen relapsi Maronitæ. Celeberrima sunt sub Pontificibus Leone X, Greg. XIII., Clemente VIII. habita,

nec

nec non ſub Paulo V. qui horum Patriarchæ *Petro Libanum montem incolenti*, verba ſunt Ciacconii in Pauli V. vita, *cum multa peteret, plura largitus eſt, auctumque argenteis baud vulgari opere ſacrificantium vaſis, & Sacerdotali ſuppellectile mirificè recreavit*. A longa itaque ſæculorum ſerie in eadem cum Romana Eccleſia felicioribus, quam alii Orientalium, auſpiciis, pacta unione, adhuc perſeverant Maronitæ, quemadmodum ad loca illa peregrè proficiſcentes ſumma cum animi voluptate deprehendunt; & ſcribit Aubertus Miræus l. 1. de Not. Epiſc. c. 18. *Chriſtianis ſola natio Maronitarum in monte Libano, & Armenis Provinciæ Naſcevam in Perſia; itemque Chaldei, Aſſirii in civitate Caramit, ac Seert, partibuſque vicinis verè, ſolidèque R. Eccleſiæ doctrinam amplectuntur*. Sub uno Patriarcha apud *Cœnobium* minimam urbem reſidente, ſub uno Archiepiſcopo, multiſque Epiſcopis ea inopia laborantibus, ut victum manuali opere ſibi comparare vel ipſe Patriarcha cogatur, vivunt præfati locorum accolæ, aliique hujus ſectæ non pauci in urbibus Damaſci, Aleppi, Hieroſolymæ, ac alibi commorantes Syriacam, uti diximus, in ſacris functionibus linguam retinentes, quæ admodum antiqua eſt nationi huic, quaque uti vel poſt abjuratam hæreſim indultum illis fuit per Pontifices Maximos, imo maximè probatum: hoc enim idiomate legitur Romæ typis vulgatum anno 1592. illorum Miſſale, ubi quatuordecim variorum auctorum inſertæ occurrunt Liturgiæ: Romæ pariter eadem lingua impreſſa fuerunt anno 1605. Paulo V. mandante, Maronitarum Breviaria: *Precationum Eccleſiaſticarum Breviaria, quæ antea MSS. nationi illi* [Maronitarum] *paulatim vetuſtas ſubducebat, novis typis in eam rem fabricatis excudi mandavit*.

Reſonat eadem, quæ Maronitarum, lingua in ſacrorum recitatione apud Chriſtianos vulgò D. Thomæ nuncupatos; quòd per iſtum ab Idolatriæ tenebris ad Evangelii lucem ſe translatos glorientur. Regnum vulgò Cocin, & præcipuè regni hujus montes, patria ſunt ſedes hujuſmodi Chriſtianis. A fidei veritate Paſtorum defectu lapſos, ad eamdem reſtituit per homines ſuæ Diœceſis Babylonenſis Patriarcha; ſed Neſtoriano errore infecti novi iſti fidei præcones, Neſto-

rianorum virus & huic genti de novo conversæ propinarunt, quo miserrimè læsa jacuit, donec Alexius Goensis ex Augustiniana familia Archiepiscopus, injuncto missionarii munere defungens, ab ejus lue surripere gentem hanc pro virili laboravit, Synodo ad hoc convocata, de qua in vita Clem. VIII. Ciacconius: *Alexius Goensis Archiepiscopus in civitate Diamper Indiæ Orientalis Synodum ad Ecclesiam D. Thomæ, quam Nestoriani inficiebant, reformandam celebravit*. Interfuit huic Synodo Mar-Abraham hujusmodi gentium Episcopus a Babilonensi Patriarcha, cujus ditioni parent Christiani isti, jam renuntiatus, ubi & erroribus Nestorii, juxta ac paulo ante Romæ, anathema dixit, in quos tamen, Synodo vix absoluta, relapsus cum Babilonensi Præsule adversus R. P. Primatum conspiravit. Plures præter errorem Nestorii fovent Christiani isti errores: nam tria tantum agnoscunt Sacramenta, ineptam consecrationi materiam calici apponunt, Baptismum ad septem, octo, quandoque decem annos differunt, sacræ mensæ admittere audent etiam eos, quos Christo nondum regenerationis unda donavit, aliisque multis detinentur, quos percensere ad rem nostram non admodum spectat.

Ut verò clarius pateat unà cum Religionis Catholicæ primordiis inter sacrorum solemnia Syriacam, sive Chaldaicam linguam obtinuisse, non infirma nobis suppetunt ulterius momenta, quæ proferamus. Et quidem si vernacula regionis lingua primos divinorum conventus a majoribus nostris frequentatos est, uti vidimus, pro certo habendum, jam nemo Syriacæ linguæ principem in sacris locum invidere merito potest. Enim verò meridiana luce clarius est Hierosolymæ primùm ad communes preces novos Evangelii asseclas convenisse, nec non Hebræis Judæas plagas commorantibus Chaldaici, sive Syriaci sermonis familiarem fuisse dialectum. Adeo in rem hanc Scriptores conveniunt, ut V. Cl. Salmasius *de lingua Hellenistica* opinetur singulos librorum N. T. Scriptores opera sua Syriaca lingua exarasse non alia de causa, nisi quòd Judææ accolis, cujusmodi erant Apostoli, foret illa eo tempore familiaris, & communis: *Scribebant igitur Apostoli idiomate suo, & lingua sibi familia-*

liari, & vernacula, qua protinus a Syris ...... in Græcum transferebantur. Non me fugit singularia heic circa Apostolicas quasque in eadem lingua elucubrationes docere Claudium Salmasium, quæ pluribus displiceant: at vero exinde prorsus evinci Syriacum sermonem fuisse, & Hebræis per illud tempus familiarem, & in sacrorum usibus quam maximè vetustum quis non deprehendat? Petrus Le Brun Dissert. IX. De Liturg. Syriac. expressè tradit Jacobi Liturgiam primum Hierosolymæ celebratam, eamque sermone Judeæ communi, qui *Syriaca erat dialectus*. Ricardus Simonius Hist. Crit. N. T. jam ab Apostolorum ævo autumat sacra eloquia huic reddita sermoni resonasse in regione Transeuphratæa, ubi vernaculum Syriacum erat idioma: neque sane aliter persuasum est Syriorum plerisque gloriantibus vernaculum sui sermonem, in quem sacros libros translatos legunt, ab Apostolo Thaddæo in sacris sua derivare exordia: cum enim ad Abgarum Edessæ [quæ Syriæ superioris ubs est] profectus Apostolus, Christo novas eas gentes peperisset, simul sacras litteras N. T. interpretatus est communi Neophitorum idiomate, quod Syriacum fuisse dubitare nos non sinunt Historicorum testimonia, & Eusebii in primis, qui l. 1. Hist. Eccl. c. 13. Epistolam Abgari Regis ad Christum Edessenæ civitatis Tabulario erutam disertè profitetur è Syriaco exemplari a se Græcè translatam. Quod si inter Syrorum quosdam vertat de suæ versionis auctore diffidium: convenit tamen inter omnes de tempore; cum qui Thaddæo id operis abjudicant, Marco adscribant, uti Cornel. a Lapide in Matthæum, Tillem. in Marc. & Guillielmus Postellu apud Boderianum Tom. V. Polyglot. Antuerp. observarunt: & certè illud saltem non immeritò opinatur Beausobrius Hist. Critic. Manichæismi eosdem libros primis novæ fidei annis Syriacè fuisse conversos; cujus rei maximum etiam argumentum suppetit Origenis labor, qui Sæculo III. floruit. Hunc Syriacæ Bibliorum versioni emendandæ operam locasse memorat linguarum, & antiquitatis peritia clarissimus Masius *Proem. Comment. in Bar-Cepha de Paradiso*, dum sibi perspectos tradit aliquos divini eloquii libros Græcè traditos ex Syriacis illis codicibus,

quos Origenes obelis, & astericis distinxerat; & apud doctissimum *P. Bernardum de Montfaucon*, qui summo litterariæ Reip. bono *Tetrapla &c.* Origenis temporum diuturnitate publico erepta, vulgavit, licet videre, queis rationibus evincatur Adamantium Scriptorem sui Hexaplorum marginibus Samaritani, & Syriaci Codicis apposuisse lectiones. Anno 25. sæculi proximè lapsi Thomas Erpenius cum libro *Rituum in Sacramentis usitatorum apud Syros Christianos*, publici juris fecit librum Psalmorum Davidicorum eadem lingua concinnatum, qua Orientalibus quibusdam Christianis a longo sæculorum decursu in usu solet esse: Asserta huic linguæ in divinis officiis antiquitas elucescit pariter ex M. S. S. aliis pluribus sacrorum Codicum in præcipuis Orientis, atque Occidentis oris prostantium, atque cum primis ex M. S. S. Liturgiarum exemplaribus, de quarum numero, antiquitate, auctoribus disceptat eruditissimè D. Abbas Renaudotius T. 2. Liturgiarum Orientalium. Huc referre non abs re duco Evangelii a Matthæo concinnati autographum, quod ætate nostra deperditum, Syriaca dialecto exarasse sacrum Scriptorem testes locupletissimi sunt Papias, Irenæus, Origenes cum totius retro antiquitatis, & recentiorum Tillemontii, Simonii &c. consensu; licet Erasmus, & Ligoofotius audeant refragari, nec plane improbentur a V. Cl. Fabricio in Apocryphis N.T. Notit. Evangel. Apocryph. num. XXXV. Sed ad alia tandem properemus.

Græcam retinent in sacris persolvendis officiis linguam a Græca vulgari tamen, qua passim loquitur vulgus, diversam per varias mundi partes dispersæ veterum Græcorum reliquiæ: Græcè itidem cantant sparsi per orbem multi Orientales Monachi, cujusmodi, ut plures mittam, Romæ fuerunt ii, quibus Monasterium Sanctæ Praxedis concesserat Paschalis I. *ut Diu, noctuque Græcæ modulationis Psalmodia laudes omnipotenti Deo persolverent*. Nec dissimulandum latiùs olim Græcam linguam resonasse in sacris functionibus, cum nempe Orientale Imperium amplissimo fruebatur Dominio, & Græci Imperatores innumeras Orientis, atque Occidentis dominabantur Provincias, quo Regio splendore factum fuerat etiam, ut Constantinopolitanus Præsul ampliori exte-

ra-

rarum Diœcesum locupletaretur jurisditione; supra cæteros Patriarchas potestatem sibi usurparet, ac tituli adoptione ipsi Pontifici Maximo invidiam crearet. At ubi sensim decrescere, & tandem pro toties violata Religione in ruinam labi Orientalium ditio, striĉtiores & Græcus sermo in rebus divinis obtinuit fines. Quare vix paucis Ecclesiis arĉtatus hodie superest Constantinopoli, Hierosolymæ in Cypri, & Peloponesiaco regno, in insulis Maris Ægei, in nonnullis Asiæ Provinciis, ubi Græci vel sub Turcica tyrannide ingemiscunt, vel imperio spoliati externorum Principum subjacent Dominio, aliisque particularibus aliquot Europæ, & Africæ Regnorum, atque urbium locis, ubi particulares Principum beneficio possident Ecclesias. Conflato schismate, primum sub Photio malis artibus in Constantinopolitanam Sedem intruso, deinde sub Michaele Cærulario ejusdem sedis Patriarcha, ab unitate veræ Ecclesiæ desciverunt Græci pretextu particulæ Filioque additæ Constantinopolitano Symbolo contra Concilii Ephesini prohibitionem; at veriùs ambitioso conatu, quo Romano Pontifici Bizantinus Patriarcha subesse detreĉtabat; neque enim hæc particula audiri cœperat adjeĉta Symbolo solum circa tempora oborti Schismatis, sed ante Synodos Œcumenicas, Septimam dico, & Sextam, hoc est duo ferè sæcula ante occupatam a Photio Bizantinæ Ecclesiæ infulam; immo ut Græcus author Joseph Metonensis Episcopus in sua adversus libellum Marci Ephesini responsione testatur, *mox a secunda Synodo tempore Damasi Papæ apposita erat Symbolo* ea vox: & tamen toto hoc temporis intervallo ob hanc causam litem Romanæ Ecclesiæ non intentarunt. Scissam inter utramque Ecclesiam pacem coaluit primum, Imperante Leone VI. qui vulgo Sapiens dicebatur: deinde in Concilio Lateranensi II. sub Gregorio X. celebrato eadem instaurata fuit: at iterum ruptum fœdus denuo inire aggressi sunt Græci Imperatores Andronicus Junior, Joannes Cantacuzenus, & Joannes Paleologus, ac tandem optatissimum finem habuit hæc concordia in Concilio Florentino, cui idem Eugenius IV. P. M. per se præfuit, ubi Omnes Græci, exceptis quatuor cum Marco Ephesino, subscripserunt haĉtenus impugnatis Latinæ fidei Dogmatibus,

bus, ſpectante, & conſentiente Joanne Paleologo Orientis Imperatore, qui ob ſtabilienda hæc Fœdera Ferrariam primò, inde Florentiam, quò Synodus fuit translata, conceſſerat. Sed quæ, fortunante Deo, bonos omnes ſummo gaudio perfuderat unio, non feliciorem prioribus nacta fuit progreſſum. Vix enim ad patrium ſolum remearunt Græci, ad vomitum reddiderunt artibus precipuè nefarii hominis Marci Epheſini, qui non modo Byzantinum vulgus, ſed & tres Orientalium Sedium Patriarchas in ſuas partes traduxit, & errores, in quibus adhuc florentiſſima Eccleſia, & gens quondam de Catholica fide optima merita, majori ſaltem ſui parte infeliciſſimè verſatur. Fatendum verò [ne merita laude etiam hoſtes defraudemus] Græcos licet Romanæ Eccleſiæ infenſiſſimos, religiosè ſemper abſtinuiſſe a novis novorum hæreticorum adoptandis erroribus, cumque Orientalem Eccleſiam in ſuas partes traducere nuperrime tentarint Calviniſtæ Batavi, extorta per aurum ab eorum Patriarcha Conſtantinopolitano Cyrillo Lucari Calvinianæ Fidei Confeſſione, mox in tribus Synodis Bizantii, Iaſii apud Moldaviam, & Hieroſolymæ congregati Græci Antiſtites, unanimi conſenſu anathema dixerunt huic confeſſioni, & editis contra ipſam lucubrationibus, toti orbi per ipſos innotuit talem confeſſionem Orthodoxæ Grecorum fidei omnino contrariam eſſe. Atque, ne longius extra rem divagari notam incurramus, hactenus dicta ſufficiant de populo, cujus lapſus memoria nunquam ſine lacrimis recolitur.

Græcis propter eumdem linguæ Græcæ in ſacris uſum, addendi ſunt Melchitæ, aliter Græci-Arabes indito nomine a *Melchi*, quod Siriacè Regem ſignificat. Ita vocatur numeroſa inter Orientales Chriſtianorum multitudo, qui Chalcedonenſis Concilii definitionibus auſculantes Eutychianam hæreſim abjurarunt. Invidia præſtitæ obedientiæ timoris notam alii Orientales inuſerunt his populis: ideoque, & Regios, ſeu Imperiales vocant, quaſi imperatoria tantum poteſtas eos adſtrinxiſſet ad ejus Concilii fidem admittendam, in quo a Jacobitis differunt. Cæterum diu Græcum ſermonem, fidem, & Ritus Græcos ſectati, modo Ægyptiam, aut Chaldæam etiam in ſacris linguam uſurpant, ut mox iterum

de

de Cophtis differentes afferemus; sed & fide à Græcis contra aliquorum persuasionem hodie discrepant.

Nobiliores Religionis, & Europæ Provincias occupat Latina lingua, usum ea obtinet in urbe Roma prima, ac universali sede totius mundi Catholici, & auditur in tota Romani Pontificis dictione. Hanc retinent in Ecclesiasticis functionibus Itali, Galli, Hispani, Poloni, Germani, Belgi, Angli. Hanc sequuntur, qui Septentrionem habitant, & habitabant Catholici, antequam in mille opinionum monstra discerperetur. Progressus est in oras Africæ idem sermo, isque jam ab Augustini temporibus usitatus Carthagine, & in sex Carthagini subjectis Provinciis, adhuc remanet in plerisque Christianorum cœtibus, qui Saracenis, Mahumedanis, Judæisque gentibus immixti eas regiones incolunt; si Abyssinos, seu interiores Æthiopes, & quasdam alias Christianorum sectas, de quibus in hoc capite, excipias. Asia quoque non est hujus sermonis expers, latio enim sermone ibi divina celebrantur officia in omnibus pœne Ecclesiis, quæ Catholicæ fidei puritatem inter sordes Gentilitatis, & Hæresum ibidem servant. Quid quod cum Evangelii luce in novum orbem, Americam dico nobis ignotam usque ad sæculum decimumquintum, quo Americus Vesputius eò profectus est penetravit Latius Sermo, ubi maximo locorum intervallo dominatur: Tradit enim Morerus in suo Ditionario Historico verbo *America* in sex Archiepiscopatus, cum pluribus Episcopatibus divisam fuisse ab Apostolica sede Regiis petitionibus Americam, & innumeris distinctam Parochiis Regularium regimini plerumque traditis, quorum precipuè sudoribus ea regio irrigata tam copiosam Christo dedit messem. Ex quo patet quam meritò Antonomasticè a pluribus sacer sermo vocetur latium idioma; ubi enim Græcum, & Chaldaicum in aliqua orbis parte, aliud in aliquo alterius partis loco adhibetur; latinum in divinis officiis per Europam, Africam, Asiam, Americam latissimè patet.

Quod ad Hæbream linguam attinet; diximus jam ab ipsis Ecclesiæ exordiis in desuetudinem abiisse; si tamen lingua verè Hebraica unquam in sacris functionibus obtinuit, quod pro certo affirmare multa vetant. Necessitatis potuit esse hoc

ser-

ſermone agi Eccleſiaſticas preces , ut tempori parere-tur , & hebræorum converſioni , qui hæbraico idiomate in Hieroſolymitano templo aſſueti Deo Hymnos laudis decan-tare , ægrè forte ab hac lingua,quemadmodum a multis Syna-gogæ ritibus avelli paſſi fuiſſent . Non admodum lato regio-num ſpatio patuit hæc lingua , ſed Hieroſolymæ , & in Judeæ Regno , ubi ſub intolerabili Romanorum jugo ; Præfectorum, & militum licentia , ac avaritia deploratiſſimos dies ſuos ducebant Hebræi . Ab hoc ſermone tamen, ut primum licuit, receſſit Eccleſia, perinde ac ab antiquis Hebræorum cæremo-niis , ne cum ipſis Judaizare , aut ne fundata de integro Religio, non alia eſſe a Judaica videretur . Non ita tamen Hebraicum ſermonem ablegavit Eccleſia a divinis officiis , ut aliquas ex eo non retinuerit voces, veluti *Amen* , *Aleluia &c.* Rationem reddunt Auctores , quia nimirum Judaicus ſermo ſalubri Chriſti vexillo inſcriptus in morte Domini fuit con-ſervatus , & vox *Amen* cum ab ipſo Domini ore ſæpius e-manarit , par fuit , ut ab Eccleſia ſæpius repeteretur . Qua de re neque ab Eccleſia Orientali reſpui inter publicas pre-ces compertum eſt .

Hæc primorum idiomatum origo . At vero quamvis ope-ram locarit Eccleſia in removenda quacumque licentia ; non potuit tamen , quin diverſas a primis linguas audiret in ſacra eloquia induci , vel ita exigente convertendi populi bono , vel juſtis de cauſis connivente Præſulum authoritate , vel bo-na fide populorum , ſacrorumque Præſidum , qui hanc ſibi arrogarunt facultatem, ſcientes eum, qui fecit tres linguas principales , Hebræam , Græcam, & Latinam , ipſum ad lau-dem, & gloriam ſui etiam alias omnes creaſſe . De iis ita-que impræſentiarum ſermo nobis habendus eſt, quibus vel pro-prium, ſibique vernaculum, vel diverſum a recenſitis idioma familiare eſt in divinis Officiis . Eminent in primis Moſcovitæ, de quorum antiqua fide C. VIII. actum . Illyrico ſermone ſa-cra populi iſti abſolvunt; quamvis longa annorum ſerie a pro-phanis collocutionibus hic aboleverit . Mira eſt Religio, qua ſacris templis interſunt ; ibi enim vel ipſi Imperatori , atque Patriarchæ juxta imperii ſtatuta Officiorum tempore mini-mum verbum proferre interdictum, *ne divinus cantus turbe-tur* .

tur. In iisdem, ac Schismatici Græci, erroribus versantur, quos tamen semel ac iterum ejurarunt; iterum tamen relapsi eosdem etiamnum profitentur. Sixto IV. P.M. obedientiam jurarunt Legati Basilii Magni Moschorum Ducis, profusique Florentinæ Synodi exosculati, & ex animo amplexi sunt doctrinam: immo si fides danda Ciacconio in vita Sixti IV. ipse Magnus Dux hanc P.M. subjectionis fidem dedit, cum non per Legatos speciossimam Demetrii Moreæ Despotæ filiam thalami assumpserit consortem, sed ipse *Romam veniens conjugem sibi sociavit, & in regnum secum duxit anno* 1472. cui, memorante Panvinio, Sixtus IV. *nomine dotis sex millia aureorum donavit*. Ad eadem ineunda religiosæ concordiæ fœdera incubuere Adrianus VI. & Clem. VIII, sed re infecta; quippe non modicam retardavit pacis spem exigitum a Moscho Duce totius Russiæ Imperatoris nomen; abrupit omnino excitata a Lutheranis, & Calvinistis contra Petri navem tempestas, in Moscovia Religioni suæ sedem nactis. Tandem spes aliqua novæ unionis affulsit anno 1698. cum, Innocen. XI. Christi vices in terris sustinente, magnus Moscoviæ Dux Petrus Romam Czeremet Legatum misit, ut sui, & universæ nationis de ineunda cum P.M. unione desideria exponeret. At vero Legationem ad regionis, non fidei incrementa spectare cum Romæ fuerit deprehensum, exitu Legatio fuit destituta. Indicat etiam novissima quædam, sed privatæ unionis colloquia Joannes Franciscus Buddæus homo Heterodoxus habita anno 1718. dum Collegium Sorbonicum inviseret Imperator Russorum, cui *Doctores Sorbonici capita quædam Concordiæ inter Ecclesiam Romanam, & Ruthenicam* exibuerunt, littus tamen arantes. Quamvis verò per vasta hæc terrarum intervalla Novatores fidem suam profiteri, sacra exercere obtinuerint; vix tamen a lippis, & tonsoribus fidem sibi demerebuntur, quæ de insito Moschorum adversus Romano-Catholicam fidem odio eructant in l. *de Ecclesia Romana cum Ruthenica irreconciliabili*. Franciscus Buddæus, & Georgius Hornius *in Orbe Politico* c. 3. IV. §. 1. *Solos Græcos & Russos putant*. [Mosci] *esse verè Christianos, reliquos autem omnes Apostatas: sed in primis P. R. & Ecclesiam Latinam immenso odio prosequuntur*: tum subdit Moscos in Re-

 for-

formatam Ecclesiam ponioribus animi, quam in Romanam ferri. Vah effrontes homines? Ergo ne toties repetita unionum fœdera cum Latinis, consensus in tot Dogmata cum Romana Ecclesia erit immensi hujus odii argumentum? Ergo ne publicis confessionibus, vulgatis libellis, fidem suam a Novatoribus abhorrere, cum Romanis adversus Protestantium novitates conspirare testantes, habendi erunt in Reformatos magis, quam in Romanos propensi? Sed de his alii.

Præter Moscoviam Illyricum inter sacra idioma est nationibus aliis permultis. Hæc lingua in usu est reliquiis Christianorum, qui sacra, ritu Græco, profitentur circa Precopensem Tartariam, sive ut alii vocant Tauricam Chersonesum penè insulam ex Ptolomeo l. 3. apud Circassos: ubi Armenis, ac Latinis permixti Græcæ fidei professo, duodecim templis ad sacra more suo obeunda potiuntur. Non alia in usu est ejusdem ritus populis, quibus minor Russia communiter nigra, quibusdam rubea dicta, nec non Russiæ finitimæ Provinciæ Volhinia, & Podolia patrium solum est. Harum Provinciarum Diœceses lato terrarum inter se se protendentium intervallo, quæ Græcas sectantur Cæremonias, partim Moscorum Antistitis, partim Constantinopolitani juri subduntur, quæ tamen, ut a Græcorum erroribus dissentiunt; ita aliquantum a Græcis cæremoniis declinantes, ad Romanas accedunt in officiorum celebratione. Resonat Illyrica quoque in sacris lingua nonnullis in Lithuaniæ partibus. Hæc Provincia Evangelicis instructa legibus fuit primum tempore Innoc. IV. cujus solio ditionem suam Mindanus Magnus Lithuaniæ Dux subjecit, iterumque a centum, & ultra annis Jagello successor anno 1380. catholicam fidem cum gentibus suis professus est, antequam in uxorem Heduigem Poloniæ Reginam duceret, ac inde ad Regni ejusdem coronam anno 1386. eveheretur. Illyrici sermonis usus latè insuper patet per Serviam, Mysiam, Bosniam, & Bulgariam, ubi vel frequentes, vel solum Græcanicæ Religionis vivunt sectatores.

Qui sequuntur populi a superioribus ritu, qui Romanus est, discriminantur, non tamen lingua, quæ Illyrica pariter, seu Sclavonica apud eos auditur in divinis officiis ce-

le-

lebrandis. Quandonam audiri hæc lingua in sacris precibus cœperit, auctorum litigiis patet. Dubravius l. 1. *Hist. Bhoem. p.* 4., in cujus sententiam abeunt Erasmus, Sixtus Senensis, Franciscus Junius, opinatur apud Sclavos primùm accepta ferri ejus exordia a D. Hieron. deberi: *Ex hac gente*, ait laudatus Dubravius, *D. Hieron. prognatus, suis popularibus vetus, novumque testamentum sermone vernaculo interpretatus est, Gratiano, & Theodosio administrantibus imperium, illaque interpretatione in hanc usque diem Illyrici tum in Hymnis divinis, tum in Sacrificiis utuntur*. Inficias it assertæ versioni Serrarius c. 20. q. 2. Prol. Bibl. utpote cujus ne vola quidem apud veteres, ipsumque Hieronymum deprehendatur: *Neque tamen S. Hieron. qui suas versiones non indiligenter notavit, ejus unquam meminit, neque veterum ullus*. Baronius Tom. VII. *in Append. de Ruthenis a Sede Apostolica receptis*, arbitratur Sæculo IX. cœpisse Sclavæ linguæ in sacris usum, cum Christo initiati fuerunt Moscovitæ: sed etiam si a Moscis primùm usurpatum in divinis functionibus hoc idioma veritati consentiret, de quo non disputo, adhuc erraret Eminentissimus Annalium parens, siquidem Moscorum ab eodem indicatam conversionem sæculo non IX. sed X. contigisse, & quidem ad finem vergente, jam inter recentiores est ab omni dubitatione alienum, ideoque, & certum Illyricam linguam in sacris non fuisse Sæculo IX. apud Moscovitas usurpatam, veriùs igitur cum ipso Baronio a sæculo IX. hujus in sacrorum usibus linguæ initia, sed alia de causa, & apud alias gentes repetimus ex Epist. 247. Joannis VIII. *ad Sfentopulchrum Moraviæ comitem* anno 880. scripta, cum Cyrilli, ac Methodii virorum sanctissimorum curis fuerat de integro Evangelio parta Moravia: *Litteras*, ita Pontifex, postquam ejus Provinciæ Principis religionem, ac pietatem commendarat, *denique Sclavonicas a Constantino quodam Philosopho repertas, quibus laudes Deo debitas resonent jure laudamus, & ut in eadem lingua Christi Dei nostri præconia, & opera enarrentur, jubemus .... Nec sane fidei, vel doctrinæ aliquid obstat, sive Missas in eadem Sclavonica lingua canere, sive sacrum Evangelium, vel lectiones divinas novi, & veteris Testamenti bene interpretatas, & transla-*

slatas legere, aut alia omnia horarum officia psallere. Voluit tamen Pontifex ad horum populorum cum Romana sede indicandam unionem, ut primùm Latinè, deinde Sclavonicè in Missa decantaretur Evangelium. *Jubemus tamen*, sic in eadem Epistola Pontifex Joannes, *ut in omnibus Ecclesiis terræ vestræ propter majorem honorificentiam Evangelium legatis Latinè, deinde Sclavonicè*. Pontificia concessione hodie dum Istria, Liburnia, & Dalmatia littoralis utuntur, Illyrico idiomate sacras absolvendo functiones. Ab aliis Provinciis, ubi invaluerat, abolevit receptæ linguæ usus, vel Synodicis constitutionibus, quemadmodum Alex. II. tempore contigit, cum per Apostolicæ sedis Legatum in Synodo ex omnibus Croatiæ, ac Dalmatiæ Præsulibus congregata, fuit statutum, ne quis de cætero in lingua Sclavonica præsumeret divina Mysteria celebrare; vel Pontificum intercessione, quemadmodum Greg. VII. *epist. ad Vratislaum Bohemiæ Ducem* data, ne Sclavonica lingua in ditione suâ divinum celebraretur officium, *auctoritate B. Petri inhibuit*.

Primum sibi arrogare locum inter hactenus adductos Armeni populi debuissent lingua sibi vernacula sacris vacantes. Multitudine, & antiquitate nulli Orientalium gentium palmam cedunt. Ex Idolorum cultu retracti Catholicæ Religioni colla submiserunt Apostolorum ætate, Evangelii lumen perfundente Bartholomeo Apostolo, deinde Gregorio Illuminatore Sanctorum fastis jam adscripto. Diù Orthodoxæ fidei ab erroribus alieni nomen dederunt. At Seculo quinto in errores dilapsi, quibus horum plagas Eutychetis fautor, & Jacobitarum parens Jacobus Syrus inspersit primùm, deinde sæculo septimo Echanius Matacunes, a veræ Ecclesiæ unitate desciverunt, & adhuc divulsi lugendo dissidio permanent. Hausto in primis Eutychianæ hæreseos veneno Armeni in Diptychis, Missæque canone tanquam cœlestem gloriæ participem venerantur Dioscorum, ideoque Chalcedonense Concilium, atque ipsius promotores Leonem I. P.M. & Marcianum Imp. reprobant, nec non dictum in hoc Concilio anathema contra Eutychem, & Dioscorum, duas in Christo inficiantes naturas; quem errorem adeo pertinaciter propugnarunt Armeni, ut ex eo alium aquam vino inter sacra

non

non immiſcendi invexerint errorem, verentes ſcilicet,ne hac admixtione duas in Chriſto adſtruerent naturas. Cum Jacobitis tamen, & Cophtis aliquem antiquæ hæreſi modum adhibuere recentiores Armeni, mutuatum ab Athanaſio, ſed on ad juſtam ipſius S. D. mentem, nimirum quod *ncut anima, & caro unus eſt homo: ita Deus, & homo unus ſit Chriſtus*. De quo egregiè more ſuo diſſerens legendus eſt Angelicus Doctor 3. p. q. 2. art. 1. Cum Monothelitis unam in Chriſto agnoſcunt voluntatem, Purgatorium in Catholicorum ſenſu averſantur, alioſque fovent errores, qui occurrent percurrentibus hiſtoriam Religionis harum gentium, & colliguntur ex Bulla *Exultate Deo Salutari noſtro* ab Eugen. IV. ad inſtructionem Armenorum edita in Concilio Florentino. Si hujus populi Diſciplinam ſpectes, antiquam redolet Eccleſiam; per Quadrageſimam non modo ab omni carne animalium terreſtrium, & aquatilium, a lacticiniis, & ovis, ſed etiam a vino, & oleo abſtinent: quarta, & ſexta per annum feria a rigoroſo jejunio non temperant; Sabbatorum diebus nefas ducunt jejunare, ducta conſuetudine ab ipſis Eccleſiæ primordiis, uſquedum Orientalibus Chriſtianis communi: ajebat enim Apoſtolorum Diſcipulus, & germen in ſua ad Philip. Epiſtola Ignatius *eos, qui Sabbatis jejunant, uno excepto* [ante diem Paſchatis] *eſſe Chriſticidas*: a primorum feſtorum celebratione non reſilierunt, & aliis, quæ ſi cum fidei puritate fuiſſent ſuperſtites, haberent noſtri, unde aliquod veteris Eccleſiæ ſuſpicerent veſtigium. Pluries cum Eccleſia Romana ſub, Eug. III. Joanne XXII. Bened. XI., Clem. VI. & tandem ſub Eug. IV. in Florentina Synodo fœdus injerunt: pluries in eoſdem errores turpiſſimè revoluti ſunt. Extant tamen in Naſcivenſi [NaKſivan] Armeniæ majoris Provincia multi Franc Armeni, qui ſemel reſtituti Catholicæ Eccleſiæ communioni inviĉtiſſimè adhuc in ea perſeverant opera, & ſtudio Religioſorum Divi Dominici, quorum exantlatis ſine fine laboribus pro eruendo è denſiſſimis errorum tenebris hos populos hæc converſio non minus, quam perſeverantia in ſuſcepta fide debetur. Porro Schiſmatici æque, ac Catholici Armeni communi lingua, hoc eſt Armena officia abſolvunt divina; illi tamen ritum habent pecu-

culiarem; isti ut fidem, ita & Romanum ritum profitentur. Complures obtinent Ecclesias per Mesopotamiam, Persidem, Caramaniam, & utramque Armeniam propagatas, complures in aliis Orientis, atque Occidentis Provinciis. temporali jam diù exuti Imperio Armeni, exteris subsunt, ut Græci, Principibus. Sunt qui ab eorum Catholico putant in Regem inungi paucis notum hominem, & hunc ex prisca Armenorum Regum pergenie adhuc traducem, sed de hoc penes hos Scriptores fides sit, quod si reipsa, ut fertur, contingit, certe Rectus non Regens Rex est, ideoque etiam si non sine Rege, sine regno tamen jacent Armeni. Narrat Otho Frisigiensis Episcopus l.1.Cronic. c. 32. ad mille Episcopos paruisse suo tempore Armeno Catholico, seu principali totius Armenæ gentis Antistite. Tantæ autem jurisditionis fastigium olim indivisum, nunc in duos Metropolitas divisum fuisse memoriæ prodiderunt multi, quorum uni *Cis* in civitate Caramaniæ residenti, quinquaginta subsunt Episcopi, alteri apud Monasterium vulgo *Ermeazim* commoranti, ducenti Catholico, seu Franc-Armenis præposito, Archiepiscopo vix ad undecim oppidulorum Episcopos suam extendere jurisdictionem testatus est vir omni fide dignus, qui ex Dominicana familia ad Nascivensem Cathedram assumptus, Romam accessit, regnante Greg. XIII. Ex quo fit nutare Othonis fidem circa assertum mille Episcoporum numerum. Porro apud Armenos ad Episcopatus insignia è claustrali ordine ut plurimum assumuntur homines, ideoque ex Orientalii Disciplina, quæ cum Sacerdotibus sæcularibus permittat ductis ante sacrum Ordinem uxoribus copulari, prohibet nihilominus Ecclesiarum Prælatos, quod religionem profitentibus commune est, ullo unquam tempore iis, vel ante ordinationem susceptis uti ad Trulani c. *6.*, 12., & 13. præscripta. Sunt, qui variis linguis ab hac gente divina Officia censeant absolvi Syriaca nimirum, Latina, & aliis: at verò usitatior Armena vetusta a recentiori admodum discrepans, populique ignota est. Psalterii in hanc linguam versio Armenis communis accepta fertur Chrysostomo, *cum in Cucusam Armeniæ oppidum exularet* a Georgio Alexandriæ Patriarcha Sæculi VII. scriptore in Chrysostomi vita: verum

rum in hac vita *multa præter Historiæ fidem*, afluit juxta Photium; multa *absque ullo veterum momento* juxta Palladium Georgius, ideoque fublestæ fidei hujusmodi narratio habenda. D. Simonius Hist. Crit. V. T. l. 2. c. 16. ex Uscami Episcopi Armeni testimonio, cum quo Amstelodami se collocutum anno 1664. iterum, & sæpius narrat idem Simonius sub larvato D. de Moni nomine in *Hist. Critica de Relig. & Ritibus populorum Orientalium*, dum præfatus Uscam Amstelodami versabatur Patriarchæ sui jussu, *ut Biblia Armena lingua imprimi curaret*; ex hujus inquam Armeni Præsulis testimonio versionem suam debere Armenos ætati quidem Chrysostomi, sed non Chrysostomo affirmat; siquidem huic provinciæ adlaborasse Moysem Grammaticum, & David Philosophum, Arcadio rerum summa potiente, vulgata est inter Armenos fama. In hos versionis auctores iit quoque Galanus diù in Armenia commoratus, & alii, qui per hæc tempora autumant Armenos Characteres a Mesropro quodam in oppido *Balu* ad Euphratem fuisse inventos.

Verum hoc tempore non obtinuisse Psalmorum saltem ex hac versione cantum apud Armenos præter multa sentire cogit Ulmani *in serie Regum Persarum* p. 132. testimonium: hæc enim de Psalmorum Armena lingua in sacris usu habet: *Extiterunt nonnulli, qui contra formam à M. Gregorio præscriptam sibi metipsos Psalmos, litteras, & Cantiones* [hoc est Hymnos] *lingua Armenica transtulerunt. Quod audiens Theodosius Imperator, valde succensuit Armeniis, quod traditionem à S. Gregorio acceptam violassent*. Jam verò si Arcadium subsequutus fuit in Orientali throno Thedosius, & priusquam hic Orientem teneret, mortalem cum immortali vita commutarat Comanis ex Cucusi exilio redux Chrysostomus, Theodoreto l. 5. Hist. Eccl. c. 34. teste; profectò neque ad Arcadii, neque ad Chrysostomi ætatem referri debet illa sermonis in sacris Officiis mutatio, quam, Seculo IV. nondum media sui parte dilapso, invexerat apud Armenos magnus Armeniæ Apostolus Gregorius, quemque mutatum invexisse ætate sua Armenos Junior Theodosius sæculi V. Imperator, animo accepit iniquo. Franc. Armenis suam esse Psalmorum Armenam versionem a Latina translaram opera

ra Bartholomæi Bononienfis Ord. Præd. adjuvantibus Jacobo, & Joanne Armenis, tradit Galanus c. 30. Hift. Concil. Eccl. Arm. cum Rom. apud quem rei hujufmodi fides fit; neque enim Galanus hæc annis 334. a Bartholomæi, Joannis &c. ætate nullo antiquiorum teftimonio firmata fcribenti, fidem dandam fuadent firmiora Criticæ artis præcepta.

Æthiopica lingua a populari tamen diverfa preces facras recitant Abyffini Chriftiani, quondam nulli numero in Oriente, ac Regnorum vaftitate fecundi: complectebatur enim illorum ditio Æthiopiam omnem, regna fcilicet quadraginta, auctore Chitræo, five ut fcribunt alii, regna viginti fex, & quatuordecim regiones: ubi tam avidè a tota retro antiquitate conquifiti oriuntur in Provincia *Agaos* Nili fontes, quos Pater Pays S. I., eò ab Imperatore deductus, intuens fumma cum animis voluptate gloriatus eft fibi contigiffe, quod Cirus, Cambyfes, Alexander M. Julius Cæfar nullis confequi votis potuerunt. At verò ab anno circiter MDLX. internis diffidiis, & externis bellis concuffa Abiffinia non modicam tanti imperii diminutionem paffa eft, fuaque regna vel a Turca, vel a barbaris Afris vidit occupata; retinent tamen adhuc illam Provinciam, ubi Nili fontes manant; unde non modica reliqui imperii firmitas, verentibus Turcis, nec a fuo curfu laceffitus Æthiops Nilum divertat, quo interclufo ac diverfo, univerfa Ægyptus fame laborabit; & certè jam ab anno Hegiræ 482. fcribit in Saracenica Hiftoria l.3.c. 8. Elmacinus, ab Ægypti Calipha miffum ad Æthiopum Regem Jacobitarum Patriarcham Michaelem donis inftructum, ne curfu fuo Nili aquæ per Abyffinos impeditæ, falutem ac fertilitatem Ægypti jam jam periclitaturam caufarent, Sæculo IV. per Frunentium illuxit, & fi non abfque controverfia, quemadmodum C. VIII. monuimus, his regionibus Evangelii fplendor, tenente Alexandrina Sede Athanafio. Altius tamen, & ab Apoftolorum ufque ævo cenfent alii nomen Chrifto dediffe hos populos; cum tefte Eufebio, Hieronymo, & Hilario has oras ad Evangelicum lumen traduxerit primùm Eunuchus Reginæ Candacis, cui *Judith* nomen fuiffe perhibent, *Indica*

porrò

porrò Eunucho, a Philippo sacris undis asperso Act. 8. deinde ejusdem fidei semina hic sparserit Matthæus, si qua fides Pseudo Abdiæ, & Origeni, cujus testimonium extat apud Eusebium Hist.l. 3. c. 1. nec non Rufino l.10.c.9. & Socrati l. 1. c. 10. ubi & diem obiisse extremum alii tradunt; quamvis alia de causa ab ea, quam narrat Pseudo Abdias ad fabularum classem relegatam a Cardinali Cajetano in 2. 2. q 88. art. 11. in Commentariis D. Thomæ. Nec in dubium vocari posset tanta fidei antiquitas Æthiopiæ, si ad gentes istas illud Regii vatis spectaret vaticinium Psal. 67. v. 32. citiùs Æthiopiam, quam Alexandriam Evangelicum accepturam lumen: *Venient Legati ex Ægypto. Æthiopia præveniet manus ejus Domino*. At hoc Davidis cum referant plures ad parvam Æthiopiam, seu Nubiam, sanè distinctam ab alia Æthiopia; cui Abyssinæ injunctum nomen; ideo nullum ex sacris paginis certum pro jactata Abyssinorum fidei vetustate educi potest argumentum. Eutichianam hæresim a vicinis populis hauserunt; nunc verò uti Jacobitæ, atque Armeni ab hujus hæretici insania aliquantum recedunt. De rationalis animæ infusione, matrimonii indissolubilitate, infantium Baptismate aliquos fovent errores, quos non est hujus loci referre. Anno tamen 1443. translato jam Florentia ad Lateranensem Ecclesiam Concilio Florentino, in Romanæ Ecclesiæ concordia excepti sunt ab Eugenio IV. eamque repetitis Legationibus ad Romanos Pontifices Sixtum IV. & Clem. VII. illæsam servarunt ad annum 1555. quo tempore, rebus humanis exempto Davide Æthiopum Rege, ad pristinas superstitiones, erroresque revolavit Æthiopia, non nemine scribente; quamvis alii a Claudii David suffecti regno id contigisse opinentur ex fidei confessione, quam Claudius Abyssinorum Imperator eodem, ac imperium fuerat auspicatus, anno vulgavit. *A doctrina*, se suosque in fide non declinare edisserit Claudius, *Patrum nostrorum XII. Apostolorum, & Pauli fontis sapientiæ, LXXII. Apostolorum, CCCXVIII. rectorum fide, qui congregati sunt Nicææ, & Constantinopoli, & CC. Ephesi .... In decimo quinto centesimo, in quinquagesimo, & quinto anno*, hoc est reparatæ salutis anno 1555. cum Julius III. ad has plagas Patriarchæ dignitate insignitum de-

ſtinavit Joannem Nonnium Barretum, cui adjunxit Melchiorem Carnerium Nicænum Archiepiſcopum, Andream Oviedum Hieroſolymitanum, ut laborum adjutores forent, & ſi quid Barreto humanitus contingeret, etiam in dignitate ſucceſſores. Verum, ſi quod ſentimus, aperire licet, a Davidis interitu Abyſſinorum obſcurari cœpit fides, ſub Mena publicè exulare. At rurſus ad Romanæ Eccleſiæ ſinum cum ſuis revertit ſub Clem. VIII. Suſneus Æthiopum Imperator, pace ab anno 1600. tentata. Huic tanquam vero Petri ſucceſſori poſt abjuratos errores obedientiam, & ſubmiſſionem, Petro Pays audiente atque acceptante, declaravit primùm; deinde anno 1624. novam exhibitæ ſubmiſſionis edidit cum filio & Baſilide fratre Rat-Seclax coram Alphonſo Mendez Æthiopiæ Patriarca, ſpectantibus Regni Dynaſtis. Hæc in genua provolutus loquens. *Nos Sultan Saghedus Rex Regum Æthiopiæ credimus, & confitemur, quod S. Petrus Princeps Apoſtolorum a Chriſto D. N. totius Eccleſiæ caput conſtitutus fuerat; & quod principatus atque poteſtas totum in mundum ipſi data fuerit verbis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, daboque tibi Claves Regni Cælorum .... Credimus conſimiliter Papam R. legitimè electum in regimine verum S. Petri Apoſtoli ſucceſſorem eſſe, ac eum eamdem poteſtatem, dignitatem, atque Primatum Eccleſiæ Chriſtianæ totius tenere. Sancti Petri ergo Succeſſori Urbano ejus nominis VIII. per Dei gratiam Papæ, ac Domino noſtro, & ſucceſſoribus ejuſdem in adminiſtratione Eccleſiæ promittimus, offerimus, atque juramus veram obedientiam, & humiliter perſonam ac imperium noſtrum pedibus ejus ſubiicimus. Sic Deus nos juvet, ſanctaque hæc Evangelia.* In hac cum R. Eccleſia unione perſeverarunt frequentes Abyſſini, donec cum Suſnei vita commutatus fuit, qui Æthiopici imperii clavum moderaretur: ex eo enim tempore, quam tot ſudoribus irrigaverant Europæi meſſem, novus Imperator, & hæreticus Monachorum in primis livor miſerrimè diſſiparunt. Integra vero hæc Chriſtianorum multitudo à Patriarcha, quem Abbunam dicunt, regitur. Abbuna ſemper eſt patria Alexandrinus, profeſſione Monachus, Alexandrinæ Sedi, a qua primus Abyſſinorum Antiſtes effluxit, ſubjectus; immo ab ipſo Alexandriæ Patriarcha Cophto ad eam

ca-

cathedram designatus, uti prisca Nicænorum canonum lege statuitur: *Non possint Æthiopes creare, nec eligere Patriarcham, quin potius illorum Prælatus sub potestate ejus sit, qui tenet sedem Alexandriæ*; ita ex Turriani editione c. 36. At cum Arabicam linguam non ita calluerit Turrianus, adnotante Salmon in suo *Traitè De l' Etude des Conciles* p. 2. c. 1. ut rigorosam concinnare potuerit versionem, argumento, quod autographum inter ac traductionem vertit discrimen; ideo audiendus Orientalium linguarum peritissimus Abraham Echellensis Nicænam legem canonis 42. ut ipsi videtur, ita vertens. *Ne Patriarcham sibi constituant Æthiopes ex suis Doctoribus, neque propria electione, quia Patriarcha ipsorum est constitutus sub Alexandrini potestate, cujus est ipsis ordinare, & præficere Catholicum, qui inferior Patriarcha est*. Fateor hinc dubiè solùm erui a Nicæno jus istud Patriarchis Alexandrinis assignatum, eò quia dubitationis aleæ obnoxium sit, an ultra XX. canones edixerint Nicæni Patres, & jurisdictio hujusmodi non nisi apud alios a genuinis XX. occurrat; illud tamen extra dubii limites constitutum est, tali facultate a longa sæculorum serie potiri Alexandrinos Antistites, & illorum jura maximo terrarum intervallo etiam Nicænæ Synodi ævo patuisse: siquidem germanus hujus Concilii canon 6. Ægypti, Libyæ, ac Pentapolis vastas Diœceses ipsi subjectas novit: *Antiqui mores serventur in Ægypto, Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem*. Quæ ut ut ita se habeant; non ideo tamen Romano Pontifici ejus exæquatur auctoritas; nam quæ sequuntur verba, *ut Romano Episcopo parilis mos est*, in quibusdam versionibus non occurrunt, sed pro illis hæc: *Quandoquidem & Romano Episcopo est consuetum*; in aliis, *quoniam quidem Motropolitano Episcopo hoc idem moris est*, legitur, ut observat Caranza ex antiquissima versione, quæ ad Cardinalem Marcellum C. Tridentini Præsidem spectabat; unde perperam hinc adversus Romani Pontificis Primatum Eusebius Arrianus, ac Photius desperatæ suæ causæ præsidium mutuabantur. Sed ad rem nostram oratio traducatur. Monasticæ vitæ instituta mirum in modum inter Abyssinos coruscant; frequentia utriusque sexus occurrunt Cœnobia, & passim dicata Deo templa: ut pro-

inde P. Lobus edoceat datas per divina Officia cœlo laudes in aliquo templo, aut Cœnobio, in alio certissimè audiri resonantes; jejunia huiusce gentis antiquorum rigorem æmulantur: uno verbo, externa pietate nullis Catholicorum nationibus palmam invident. Illorum mores contemplatur Roma in Sacello prope D. Stephanum Proto-Martyrem, inque adjacentibus domibus, quas S. Sedis beneficio, ac liberalitate obtinent a tempore Alexandri III. post datas Romano Pontifici litteras a Preste-Jani, magna de Persis, Medis, & Assyriis potito victoria. Cæterum huic Preste-Jani numquam subfuerunt, neque subsunt Abyssini, quemadmodum aliquibus ejus magni Imperii fama deceptis visum est. Proprius semper iis fuit, estque in Æthiopia Imperator, atque alius planè a Preste-Jani, qui Nestoriana lue infectus apud Indos quondam, neque diù, neque latissimè dominabatur. Datæ ab Alex. III. dum Venetiis moraretur, ad hunc Principem Litteræ ita inscribuntur: *Indorum Regi, & Sacerdotum sanctissimo*. Quod si Indiæ vox non evincat in Asia potius, quam Æthiopia hunc Presbyterum Joannem imperitasse; cum *antiqui Patres*, verba sunt Florentinii in Martyrolog. Hieron. *sub Indiæ nomine non regionem, quæ proprie India diceretur, sed quoscumque longinquos populos præcipuè Æthiopes, Parthosque conterminos, Indos vocare consueverint*: evincit quidem Marci Pauli Veneti, cui multarum Asiæ regionum notitiam debemus, assertio; nec non Recentiorum, qui Asiam omnem lustrarunt, testimonia. Quocirca mera fuit Lusitanorum, cum primùm haud satis pervias Asiæ regiones adierunt, hallucinatio, Abyssinorum in Africa Imperatorem eumdem ac Preste-Janni esse, quam non effugerunt Dresserus in *Disc. de Statu Ecclesiæ, & Relig. in Europa*, Sebastianus Munster in *Cosmographia*, & novissimè D. Le Grand ea ratione adductus, quod Alex. III. Sacerdotem illum dixerit; & Presbyterum vulgò alii appellent; compertum sit autem apud Abyssinos hoc gradu insignitum summa rerum potientem. At vero Æthiopum Imperatores sacerdotali dignitate insigniri, non est tamquam certum admittendum. Oleo sacro quidem ab eorum Patriarcha liniuntur; unde *Masih* Æthiopica lingua nuncupantur Imperatores: & cunctos de Regia familia mares Diaconatu

in-

inaugurari, non autem Sacerdotio, alii scribunt; ideo ut a plebe sejunctis liceat Ecclesiæ Sanctuarium media in templi navi collocatum intrare, quò solis Ecclesiasticis viris aditus patet. De origine hujus nominis inditi Nestorianorum Principibus in Asia, consule Scaligerum, Jobum Ludolphum Hist. Æthiop. l. 2. Du Cange *in Observ. sup. Joinville*, Spanhemium *Introd. ad Geogr. Sac. p. 2.* qui omnes cum P. Pagi diversum simul hunc Presbyterum Joannem ab Æthiope Rege agnoscunt: aliis ætate nostra pro certo constituentibus, tam inter Asiæ, quam Africæ Reges hujus nominis Principem planè desiderari.

Æthiopibus cura haud postrema est sacrorum librorum custodia; unde illorum ritus, atque receptam in sacris linguam colligere licet. Ecclesiastico cantui destinatos habent libros, quemadmodum, & diversis officiorum cursibus, ubi alia pro ferialibus, alia pro Christi Domini, Deiparæ solemniis, quam ita eximiè colunt, ut nobis quasi debiti ejusdem cultus violatoribus barbarorum notam inurant; alia vero pro Apostolorum, & Marci cum primùm festivitatibus constituta leguntur. Ex Patris Hieronymi Lobi Abyssinarum consuetudinum testis oculati absque animadversione prætereundum non est, Sacrorum apud hos populos non sine tympanorum sonitu, quos sacerdotum primi gerunt, cantum auspicari; tum sensim sine sensu, horum strepitu silente, palmam palma percuti eo vocum, & pedum saltantium rumore, ut concentus exulet omnis, prætexendo Davidis exemplo & hortamentis adhærere: *Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce exultationis*; cum de Galgali in Silo Domiui arcam, tympanis resonantibus, & populo stridente, Regius Propheta collocavit. Præter memoratos libros Æthyopico sermone concinnatos ad officii reliquam partem absolvendam Psalterium est Abyssinis eadem lingua exaratum, cujus versioni, atque in sacris usui æquam cum annuntiato Evangelio antiquitatem deberi opinatur Jobus Lodulphus Hist. Æthiop. l. 3. c. 4. utpote a Monachis adornatæ, quos cum inaugurato Æthiopiæ Episcopo Frumentio ad has gentes Christo initiandas misit Athanasius: Non tantæ antiquitatis hanc esse placet D. Abbati Renaudotio, & Simonio in Hist. Crit. V. T. ætate nostra ex Cophta derivantibus Æthio-

thiopicam versionem. Nobis in animo non est hæc longiùs persequi, quamvis Ludolpho citius, quam Renaud. & Simonio libeat assentiri; cum antiquissimæ traductioni Abyssinorum Martyrologium adstipuletur, & de illius usu tanquam vetustissimæ ætatis loquantur ejus gentis Scriptores, uti P. Lobus cum testatur, *Davidicos Psalmos in linguam suam fideliter translatos canere*. Eadem lingua versos diligentissimè servant sacrorum canonum codices, quemadmodum ab Epist. Ludolphi ad Hottingerum, quam Orientali suæ Bibliothecæ inseruit, & M. S. S. Æthiopicis a Vanslebio lustratis constat. In his Generalia Nicææ, Constantinopolis, Ephesique Concilia, Constitutiones Apostolicæ, Apocrypha Petri ad Clementem Epistola, Synodus Ancyrana, Laodicena &c. continentur; & in horum fidem se jurare præfati populi gloriantur, disertè pro omnibus loquente illorum Rege Claudio in Confessione fidei, quam supra dedimus; & quam altius ductam hic repetere haud pigebit. *In nomine Patris, Filii, & Spiritus S. unici Dei. Hæc est fides mea, & fides Patrum meorum Israeliticorum, & fides gregis mei, qui est in septis regni mei. Nos credimus in unum Deum, ac in Filium ejus unicum J. C., qui est verbum ejus, & sapientia ejus, qui fuit cum eo, ante quam crearetur mundus ...... Nos autem incedimus in via regia, plana, vera, & non declinamus neque ad dexteram, neque ad sinistram a doctrina Patrum nostrorum XII. Apostolorum, ac Pauli fontis sapientiæ, & LXX. Discipulorum, & CCCXVIII.; qui congregati fuerunt Nicææ, & CXL. Constantinopoli, & CC. Ephesi congregatorum. Ita prædico, & ita doceo. Ego Claudius Rex Æthiopiæ, & nomen Regni mei Atznat-Saged, Filius Wanag-Saged.*

Quamvis locorum diversitate remotissimi, ritibus tamen Abyssinis affinnes sunt Cophti, lingua peculiari divina officia celebrantes. Hoc nomine indigitantur Christiani sub Alexandrino Patriarcha in Ægypto maximè degentes. Incertum est, an nomen derivent a Cophto celeberrima Orientis apud Plinium, & Strabonem urbe, quò ex tota Egypto, atque Æthiopia merces transferebantur; an ex corrupta Ægypti voce, quod tamen D. Abbati Renaudotio non probatur: Jacobitarum nomine aliàs donati sunt, sed alii sanè a Jacobi-

cobitis, queis Chalcedonensium in primis, tum Melchitarum inditum fuit nomen ab Araba voce ideo, quia Marciani Imperatoris obtemperarunt circa fidem edictis, & Chalcedonensis Concili exosculati sunt definitiones. Athanasius Kircher docet veterem Ægyptiornm linguam a Cophta non discrepare, & in hanc linguam Psalmorum, aliarumque Divinarum litterarum effata circa dimidium Sæculi IV. translata opinatur, id probans ex vetusto Martyrologio Cophtico, quod Arabicè scriptum in Maronitarum collegio Romæ asservatur. Kircherio suffragatur P. Calmet addens Cophticam linguam eamdem quidem esse, ac veterem Ægyptiorum, sed maximè corruptam, populoque ignotam; ex quo factum putat Richardus Simonius in *Disq Crit. de variis Bibl. editionibus*, ut nova Psalmorum in Arabicam linguam translatio cuderetur apud eos populos, ne Sacerdotes, populique plane divinorum sensa ignorarent, & quidem, eodem Simonio teste, hodie dum *plerique eorum libri, qui Ecclesiarum usui inserviunt, Cophticè simul, & Arabicè descripti conspiciuntur*. Quamvis aliter videatur D. Abbati Renaudotio arbitranti aliam fuisse Arabicæ versionis adornandæ causam, cùm 400. *annis, & amplius*, verba sunt Renaudotii in suis Observationibus, *antequam prorsus desueta fuisset lingua Cophtica quadam extiterint Arabicæ Bibliorum versiones*. A susceptæ tamen fidei exordiis Græco idiomate sacra omnia canebantur, id suadentibus Athanasii, ac Basilii scriptis, qui Alexandriæ commorantes, Græca tantùm lingua scripserunt, eademque Litturgias suas concinnarunt; sed omnia sus, deque in sua Diœcesi vertente Alexandriæ Patriarca Dioscoro post relatam a Concilio Chalcedonensi, quòd Euticheti patrocinaretur, damnationem, audiri Cophta in divinis officiis lingua cœpit ab iis usurpata, qui cum Dioscoro adversus veram Religionem sentiebant, tum omnium Alexandrinorum, eorum etiam, qui Melchitæ dicti seriùs a Græca desciverant, moribus recepta: tandem Saracenico omnes mancipati jugo, ita Arabico Saracenis vulgari omnes assueverunt sermoni, ut Cophtus in oblivionem abierit, cujus memoria ne penitus evelleretur, sed posteris commendatus superesset, vernacula sui, hoc est Cophta lingua, sacrorum sole-

solemnia fuisse nationi suæ absoluta ; visum est multis ex hac gente Cophtæ sacrorum librorum Arabicam adiicere versionem, quemadmodum ex pluribus M. S. S. in Europam a Vanslebio transmissis, ex tribus Basilii, Gregorii, Cyrilli ab ea gente frequentatis, Alexandrinorum Patriarcharum jussu, Liturgiis, & vulgato in Polyglotis Parisiensibus, ac Londinensibus cum aliis sacris libris Psalterio, fit exploratum, & Simonii testatur auctoritas: hoc enim pacto & antiquitatis, & viventium utilitati consultum dubitari haud potest. Quin a communi etiam doctiorum usu adeo consuetudo ista Cophtæ linguæ recessit, ut nullam sacrorum canonum apud has gentes collectionem extare nisi Arabica lingua, affirmet nunquam sine laude memoratus D.Abbas Renaudotius l. 5. Perp. Fid. Porrò & si Arabica versio divinorum, ejusque usus latè apud Jacobitas obtinuerit, non ideo tamen ubique in publicas divinorum Officiorum actiones irrepsit; sed Cophta lingua ab omni mutatione incolumis alicubi remansit, Patriarcharum Alexandrinorum studio & jussu, quemadmodum habemus ex *Hist. Alex. seu Coph. Jacob.* Patris Vanslebii. Per quamlibet Ægypti urbem vivunt Christiani isti dispersi, frequentiores tamen Cairum habitant, & Alexandriam, ubi & eorum residet Patriarcha a Græco sanè distinctus, nec verus Athanasii, Cyrilli, aliorumque Ortodoxorum successor, cujus jurisdictio in duodecim Episcopos Cophtos, nec non in ipsum Abyssinorum, uti diximus, Patriarcham extenditur. Monasteriis potiuntur per hæc terrarum intervalla non paucis, inter quæ præstantius Ægyptium ibi structum, ubi Herodianum furorem declinaturi per septennium Deipara, & Joseph cum divino puerulo commorati sunt: Hic Chaldæa in sacris utuntur lingua, sed Arabicè Epistolam canunt, & Evangelium; quod Arabico sermone, & alibi observant Melchitæ, qui tamen sæpius hoc idiomate sacras preces absolvere coguntur ex inopia ministrorum, qui alia lingua suo noverint munere defungi; quamobrem, & privatam officii recitationem Arabico sæpius idiomate peragi apud Jacobitas notavit Abbas Renaudotius. Præcipuus Cophtorum error est unam in Christo profiteri naturam cum Dioscoro, cujus nomen præcipuis aliorum Orien-

rientalium Sanctis in Liturgia adiiciunt. post Marci nomen: *Patriarchæ S. Severi, & Doctoris nostri Dioscori*. Circumcisionem etiam longo sæculorum intervallo admiserunt, cum id moribus illorum jam ab Ambrosii ævo esset comparatum: *Ægyptii anno quartodecimo circumcidunt mares, & feminæ eodem anno circumcidi feruntur* l. 2. de Abraham c. 2. Lustralibus Baptismi aquis, etiam mortis impendente discrimine, non tingunt infantes, nisi quadraginta elapsis a nativitate diebus. Primatum R. P. non agnoscunt, tuentes singulos Patriarchas eodem in Ecclesiam suam jure potiri, quo R. Præsul in Romanam, nec alium ab alio pendere; unde in errores dilapsum R. P. æque ab aliis Patriarchis in jus vocandum, ac ipsi vocarentur a R. P. ubi a vera fidei professione declinarent. Ita mentem gentis suæ Cophtus Patriarcha recludebat anno 1562. viro Societatis Jesu, eò a summo Pontifice delegato, ut Cophtos ad jurandam Vaticano submissionem induceret. Divini Spiritus, & si quidam reclament, a Patre Filioque processionem cum Græcis impugnant. Aliquando tamen Romanæ Ecclesiæ hi populi fasces submiserunt, sed quo tempore contigerit, ambigitur. Bollandiani operis continuatores in *Appendice ad Patriarchas Alexandrinos de Cophtis, & Jacobitis* putant contractas ab Heraclii Imperatoris ævo deposuisse hæresis tenebras, sæculo videlicet VIII. Rationi tamen congruentius id negat D. Abbas Renaudotius de Orientalium Christianorum rebus quam maximè instructus, in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, quòd altum sit de hac resipiscentia silentium apud Latinos, Græcos, Arabesque Scriptores, qui ut Maronitarum, & minorum gentium cum Ecclesia unionem non omiserunt; ita hanc litteris consignare non omisissent. Ad Sæculum itaque decimum quintum seu anno 1441. rejicitur communiter primum Cophtorum cum Romana sede unionis vinculum. Tunc reliquos imitati Orientales, suam ad Eugenium IV. instituerunt Legationem, & ab eodem Eugenio in sinum Catholicæ Ecclesiæ post Græcos, & Armenos fuerunt admissi. *Actum est*, inquit Pontifex in Bulla data pridie Nonas Februarii anno 1441. *ut totum ferè Oriens, qui gloriosum Christi nomen adorat, ac non parva Septemtrionis portio post longa dissidia cum Sancta Rom.*

Ecclesia in eodem fidei, & Caritatis vinculo convenerit. Primùm Græci &c. deinde Armeni, hodie vero Jacobini, magni etiam per Ægyptum populi Sanctæ Sedi Apostolicæ uniti fuerint. Novam unionem cum R. P. Clemente VIII. contraxit anno 1596. Gabriel Patriarcha Cophtorum Alexandrinorum: veram ne, quod Baronius, an fictitiam, viderint alii: & si subeat animo, tu vide Hottingerum in Topograph. Ecclesiastica. Illud certum præclaras has fidei professiones non alium nactas esse felicitatis progressum, quam obtinuerant alia multa Orientalium populorum conversionis exordia, sed ut aliorum resipiscentiæ, ita & lapsus legisse vestigia, seu tandem infaustum tantæ conversioni obstaculum immensa locorum, & regionum distantia, sive linguarum imperitia, sive nostrum neglectu contingerit, qui tamen, si quando intervenit, ætate nostra sedulo Evangelicorum hominum studio reparatur.

Inter diversissimas Christianorum Orientalium sectas non ultimo loco sunt habendi Georgiani, & Colchi, seu Mengrelii inter mare Caspium, & Pontum Euxinum siti. Colchi, olim etiam Lazi dicti, Regnante in Oriente Justino, Catholicam cum eorum Rege fidem amplexi sunt, a qua temporis decursu vel locorum impervia, vel propinquorum errores, vel Sacerdotum in summa rerum omnium ignoratione versantium defectus ita dejecerunt, ut vix Christianæ religionis tantillum apud eos lumen illucescat. Patriarcha, qui nullius Ecclesiasticæ dignitati se jactabat obnoxium, potiuntur. Hac dignitate decoratus fulgebat, Urbano VIII. in Petri Cathedra sedente, Sciamochmedelus, quem cum aliis duobus Episcopis Patres Theatini vero Baptismate donarunt, & subinde Trapezuntius Metropolita Græcus Cyrillus ad sacros Ordines evexit, irritos jam defectu Baptismi, quo ex ignorata verborum forma, & materiæ ratione carent; siquidem ad solemniorem Baptismi administrationem pro naturali aqua eos vino uti est plusquam exploratum: imo, si qua fides scriptori cæterum non suspecto D. Tavernier Itin. tom. 1. tanta illorum inscitia est, ut, quod nusquam orbis Christiani legimus, puellæ Baptismi, Confessionis, ac Matrimonii administrent Sacramenta, utpote quæ in Cœnobiis clausæ sacrorum eruditione sacerdotes excellant. Georgiani, ali-

quan-

quando Iberi, hoc sibi nomen vindicant vel a D. Georgio Martyre, quo fidei, & Imperii patrono gloriantur, vel a Georgis Scytharum populis, aut ab urbe Gorga. Patrio idiomate, quod & Mengreliis peculiare habetur, Ecclesiæ sacra absolvunt, & ita quidem, ut, testante Joanne Chardin in suo Itinerario ex Comment. P. Joseph Maria Zampi, non in alia lingua occurrant apud Georgianos sacra Biblia translata. Iberia unius Patriarchæ, cui duodeviginti subsunt Episcopi, jure circumscribitur; quamvis, ut animadvertit Clemens Galanus Hist. Armenæ c. 12. Principum arbitrio potius, quam Antistitum etiam in rebus Ecclesiasticis regantur: *primum locum in spiritualibus non Patriarcha quidem, sed Princeps obtinet. Et quod Princeps de omnibus Episcopis, & Sacerdotibus facit, hoc ipsum & nobiliores alii in sua quisque ditione de iisdem faciunt.* Ab Antiocheno Patriarcha olim Iberiæ cathedra pendebat, sed hodie nullius Ecclesiastici agnoscit ipsa jurisdictionem, veteri vel excussa, vel per exoratum consensum vindicata, quod Sæculo V. Antiochenam Sedem occupante Petro, ex Synodico statuto contigisse in sua Historia opinatur Socrates. Et si Episcoporum suffragiis renuntietur summus Iberorum Antistes, non tamen libera planè habetur electio, cum Principi, votum pariter huic electioni suppeditanti, Episcoporum vota obsequantur. Initæ in Concilio Florentino ab aliis Orientalibus concordiæ, subscripserunt Georgiani, sed seriùs, & solùm Romanam sedem implente Alex. VI. Romam misso per Constantinum eorum Regem, qui nomine totius Regni Catholicæ fidei ederet professionem, & obedientiam unionis Decreto polliceretur. Omitto reliquas aliorum Christianorum sectas, alio utentes inter Ecclesiasticas preces sermone: quales populi, quos Albania in Europa, atque Epirus complectitur; quales magni Sinarum Imperii Christiani; quales incolæ, qui aliam in Asiæ finibus Iberiam inter, & Mare Caspium sitam Albaniam inhabitant, quales Syri, dum tamen, ut volunt aliqui, quid discriminis hos inter & Melchitas collocandum sit.

Restaret nunc liberanda ab hæreticorum dicteriis consuetudo Romanæ Ecclesiæ, quæ vernaculo sermone prohibet sacra haberi, nec vulgi manibus passim teri permittit divi-

T 2 nas

nas Scripturas in eumdem versas, nisi homines de Catholica fide optime meriti hanc Provinciam numeris omnibus absolvissent. Nequeo tamen argumentum omittere, quod ex prima Pauli ad Cor. Epistola c. 14. v. 13., & 14. depromptum, Calvinistæ, & Janseniani objiciunt summopere exultantes, æquè ac si recentiorem Romanorum praxim apertissime ibi reprobaret Apostolus. Pauli verba hæc sunt. *Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur. Nam si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est*. En inquiunt, quomodo Apostolus ea statuat lingua publicas preces offerendas esse, qua & oranti quid postulet, & menti per applicationem ad sensum verborum pateat fructus orationis, quod profectò nullo modo consequuntur simplices fideles, vel divino vacantes Officiorum cursui, vel cum Sacerdotibus in Liturgiis latina lingua suorum Altissimo in Ecclesia cordium vota offerentes. Verum, quæ tantum Hæreticis videtur, nullum Catholicis facessit negotium, authoritas: ab hac enim se expediunt aliqui, primò dicentes, Paulum in hac Epistola aliquorum reprendisse arrogantiam, qui gloriæ perciti æstro ad linguam omnibus omnino ignotam transtulerant publicè peragendas a Fidelibus orationes, unde nullus præter admirationem fructus in populum derivabat. Hoc autem circa latinam linguam non contingere quis non videat? Respice Asiam, Africam, Americam, & quæcumque in Europa septem subjectæ Trioni a nobis quam maximè distant regiones, ne quid de floridissimis nostræ Europæ partibus dicam: erunt quidem aliæ orbis linguæ, quarum ne minimum quidem alicubi invenias vestigium; at numquam ea erit latinæ linguæ inopia, ut ubicumque ejusdem gnari obvii non sint multi. Alii vero dicunt secundò cum Œcumenio, & Theodoreto sermonem in hac Epistola habere Apostolum de publicis iis orationibus, quæ primariò ad populorum collimabant instructionem, ab incunabulis Ecclesiæ apprimè necessariis pro stabiliendo in nova lege populo, & proinde habendas docet ea lingua, quæ nullius captum superet. At vero quæ, Ecclesia jam propagata, offeruntur, primarius finis non est populorum instructio, sed major divinæ gloriæ, & cultus promotio, qui finis optimè qualibet lingua, ut alibi docet

Apo-

Apostolus, obtinetur, & decentiùs quidem peculiari, quam profano sermone; neque mens suo caret fructu, cum satis quocumque idiomate divina laus obtineatur.

Cæterum ut jam pateat non veritati, sed populo adblandiri Hæreticos, ejusque non instructionem aut fructum, sed perditionem in vernaculis Ecclesiæ precibus quæritare. Age; fac omnibus ad popularem linguam translata permitti sacra Biblia, nec non publicæ Psalmodiæ, atque Liturgiæ libellos. Quæro exulabit ne continuò a Scripturis ea obscuritas, quam in latina versione offendunt passim doctissimi viri? An in communi lingua vulgo, & mulieribus dabitur deprehendere eorum verborum sensum, quæ obscura, & in speciem contraria justissimas hærendi causas vel acutissimis viris ingerunt? Quæ vel inter Protestantes vergunt de Scripturarum interpretatione dissidia, quæve rei conciliant fidem? Non ergo jactatam instructionem assequetur populus, etiam si vernacula lingua donentur hi libri.

Quod autem sub hac pietatis larva fidelium perditionem, & in fide naufragium intendant hæretici, nullo negotio intelliges: permisso enim indoctis, atque plebeiis communi sermone divina audire mysteria, & Scripturarum in sacris officiis eloquia; mox in mille opinionum monstra trahetur fidelium vulgus; quisque Scripturarum interpretationem excogitabit ingenio suo conformem, parvi pendet majorum, ac Patrum explicationem, nec non ipsam aliquando Ecclesiæ vocem, si forte a privato cerebro dissentiet: nova in dies exsurgent litigia populari obnoxia inscitiæ, & judicio, ac nullum sibi statuens frenum vulgi licentia, in nova sensim labetur deliria, in quæ Lutherani, Calvinistæ, Anabaptistæ, Sociniani, Quakeri, aliique fanatici ex non dissimili abusu deciderunt, & jam decidunt non facile numeranda aliarum sectarum frusta, quæ in dies ab hujusmodi cœtibus prodire accipimus; & ut inter Catholicos prodeant nihil magis ab Hæreticorum turba exoptatur. Noverunt scilicet nihil esse, quod faciliùs dissidia gnignere, atque a vera fide retrahere possit, quam male intellectus Scripturarum sensus: hinc virulenta doctrina duplicem tentarunt aperire viam, quæ ad sinistram Scripturæ interpretationem du-

duceret, doctioribus unam, indoctis alteram, & incautis. Primis dixerunt in exquirendo, & statuendo Litterarum sacrarum sensu non esse vocem Ecclesiæ auscultandam, sed privato cujusvis ingenio, uti ratio in consilium adhibita persuaserit, dimetiendam esse divini verbi interpretationem; cumque nonnullis absonum videretur in re tanti momenti judicem, & conciliarium agere humanam rationem, errori sæpe obnoxiam, ad latebras privati spiritus confugerunt, quo divinitus ogganiunt duci singulos Christianos, ut possint de germana Scripturarum mente judicare. Quæ doctrina eò insaniæ tandem adduxit multos, ut divinum spiritum in omnibus sibi adesse persuadeant, & omnia ex interno ejus impulsu edoceri, ac operari effutiant. Quam vero sapiat temeritatem, & impudentiam hæc via cognoscendi divini verbi sensum, & prudens quisque rerum judex videt, & jamdudum apertum fecerunt in suis libris Catholicæ fidei vindices. Altera, seu indoctis via ea est, de qua hic habetur sermo. Non rationis usu, non privatis spiritus commento viderunt opus esse, ut vulgus male accipiat Scripturæ sensum: rudes populos malè interpretaturos Scripturam, si lingua nota ipsam percurrerent, pro certo habuerunt. Nihil ideo intentatum fuit, ut latiùs serperet hoc virus. Hùc collimant Vernaculæ tot divini Libri editiones, ab hominibus hæreticis concinnatæ: huc sparsi per Septemtrionales oras, aliasque hæretica labe infectas plagas libelli vel mulierculis pervii, ubi officium divinum, & omnes publicæ preces vulgari lingua continentur: huc personatus zelus exigendi populorum ex publicis precibus instructionem: huc in Ecclesiam jactata convitia, & conflatam apud incautos invidiam, quòd tanto fructu a matre priventur filii, & aliæ a Lutheranis, Calvinistis, & nunc temporis a Janseniano grege per Galliam & Belgium productæ querimoniæ, ubi perinde ac aliis hæreticorum locis eadem manu, quæ malleum, aratrum, & collus tractat, teritur libellus, qui turgeat Missæ ordine a dextris latina, a sinistris lingua communi expressus. Quin eò usque progressi sunt in Hollandia, ubi impunè pro arbitrio Ecclesiam suam reformant, ut ad praxim deduxerint officium divinum in Ecclesiis vernacula celebrare lingua: ubi verò

Prin-

Principum auctoritas a nova praxi introducenda illos deterruit, subdolè rumorem spargere non esse populum defraudandum notitia Ecclesiasticarum precum : æquum esse omnibus innotescere, quid pro ipsis Ecclesia, quid ipsi cum Ecclesia a Deo postulent. Sic inter reliquos loquitur totius Jansenisticæ sectæ Antesignanus Paschasius Quesnel in suo opere, cui titulus est. *Cinquieme memoire pour servir a l'examen de la Constitution du Pape &c. Dicendi sunt simplices fideles laudibus, orationibus, & Sacrificio missæ per dispositionem cordis, & applicationem mentis se se jungere. Æquum est ut intelligant filii, quid mater faciat, & postulet pro ipsis, & quid ipsi cum illa faciant, & postulent.*

Interim verò non est nobis diffitendum in re, quæ disciplinam spectat, quemadmodum ab Ecclesiæ exordiis fuerat omnibus, ita posse temporibus nostris dari quibusdam ex magno Religionis, atque animarum commodo divina officia vernacula lingua celebrare. Immo, & si scripta lege caveatur, ne divinorum Officiorum cursus communis manus terat, materno redditos sermoni, fateamur ad Episcopos eam spectare Provinciam, ut locorum, temporum, hominumque circumstantiis in examen deductis, permittatur hos in vernaculam linguam translatos legere. Neque enim hujusmodi lectio, quasi aliquid ex se malum est, sive ut tale, fuit unquam ab Ecclesia proscripta, quomodo Hæretici blaterant. Novit Ecclesia verax uti mater directas Deo laudes, ac preces unas easdemque esse vel Hebræo, vel Græco, vel Latino, aut alio quocumque sermone peragantur, & perinde Deo nostras audiri petitiones, perinde ipsius bonitatem, sapientiam &c. laudari, ideoque publicos orationum conventus non indignabatur ab ipsius incunabulis vulgi lingua celebrari; nec indignatur hodie dum id esse aliquarum nationum moribus comparatum. Verum ubi multorum lapsu didicit pia mater non omnibus expedire, ut istiusmodi preces in communem linguam translatæ legantur; opportunum infirmæ hominum conditioni adhibuit remedium, cavens ne passim præ omnium manibus ipsæ sint: si quando vero adeo non obsit, ut citius prosit, has in vernaculum sermonem versas lectitare; tum sacrorum Antistitum prudentiæ atque operis est concedere, ut legantur, utque vel ipsis typis ita vulgentur. In causa verò illud in primis post Lutheri, & Calvini

Hæ-

Hæresim potuit esse; quod cum isti ab orco excitati homines, eorumque ministri apud incautum vulgus eructarint, uti Lutherus in libello *de abroganda missa*; soleantque eructare Missæ Officiique preces mille erroribus apud Romanos scatere; rationi fuit consonum, aut populum instruere hæc procul esse a nobis, ipsa Canonis, & divini officii verba explanando, quod Moguntina, Coloniensis, Parisiensis, & Tridentina Synodus decretis suis statuerunt, dum a Parochis, *quæ in missa leguntur, sacramenta, præcepta Decalogi, articulos fidei clara voce, & intelligibili ac verbis maternis* populo annuntiare mandarunt: aut si ipsa non sufficiat instructio, Codices ipsos vernacula lingua exhibere iis, qui ab Hæreticorum agmine ad nos convolant; unde noverint jactatos impietatis errores nonnisi ministrorum Protestantium convitia esse, atque commenta. Hinc Sæculo XVI.intereunte, Lotaringius, & Guisius Cardinales, in Remensi, cui præerant Antistites, Diœcesi Gallicè vulgarunt Ordinarium Missæ, & subinde idem concilii placuit aliis Gallicanis Præsulibus, quorum singuli suas Diœceses Gallicano Missali noluerunt destitutas, utpote quas non exiguo Protestantium numero comperiebant refertas. Quod si anno 1660. Decreto speciali Alex. VII. sub excommunicationis pœna voluit proscriptam *ex Motu proprio, atque ex certa scientia impressionem, lectionem, atque retentionem* Missalis in Gallicam linguam translati: eodemque anno Card. Mazzarinus pro virili elaborarit, ut a Parisiensi conventu idem Missale proscriberetur: hæc tamen a proposito Gallicanos Antistites non revocarunt; quin, illæsa tamen ex juris ordine Pontificia auctoritate,novos non vulgarent in dies Gallica lingua Missæ, atque Officiorum cursus, ut ex editionibus anni 1673. 1676. 1681. 1685. & sequentibus constat.

C A-

CAPUT XI.

Assignantur tempora, queis singulæ horæ sua debent exordia. Qua hora diei haberetur olim singularum cantus. Diebus ferialibus Nocturnum Officium circa mediam noctem, festis verò tribus intervallis decantatum esse tamquam probabilius asseritur. Mos vetus inæqualibus horis noctem diemque dimetiendi hyeme ac æstate, unde pluribus horis nomen ascitum est. Quædam de recentiori indulgentia.

CAnonici officii originem Apostolicæ institutioni acceptam ferri debere diximus Cap. III. cum circa ejusdem initia versabatur oratio. Hìc singularum horarum, prout hodiernæ congruunt recitationi, investiganda sunt primordia: neque enim omnem horarum numerum, vel ordinem modò ab Ecclesia celebratum, & præscriptum, Apostolis pariter fuisse in publica oratione usitatum, tueri posse huc usque alicui visum est; sed progressu temporis quædam addita, quædam mutata, quædam meliori ordine a successoribus Apostolorum constituta fuisse omnes fatemur: adhærente tamen omni sæculo Ecclesia primævæ institutioni, atque, ut ita loquar, essentiali formæ, quam ab Apostolis hauserat palam Dei gloriam per Hymnos, & Psalmos referendi.

A Matutino exordiamur, seu melius ab oratione Nocturna, & Vigiliis. Quod spectat ad institutionem, audiendi sunt duo Ecclesiæ lumina Athanasius, & Basilius ille l. de Virg. *Media nocte*, inquit, *excitaberis, & Hymnis celebrabis, Dominum Deum tuum: ea enim hora surrexit a mortuis Dominus Deus tuus, & patrem suum Hymnis celebravit, atque ideo nobis injunxit, ut eadem hora Hymnos Deo diceremus*. Basil. verò Regul. Interrog. 37. *De tempore mediæ noctis, quod id ad orationem necessarium sit, traditum est nobis a Paulo, & Sila in Actis; scriptum est enim sic: Circiter autem mediam noctem Paulus & Sila laudabant Deum*: &, sane juxta divinam institutionem Marc. 13. *Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate*. Quoad formam vero attinet: Annalium author ad annum Chri-

sti 57. imaginem sibi visus est hujus precationis deprehendere in primis illis Christianorum conventibus a Paulo 1. ad Corinth. 14. commemoratis : *Cum convenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, interpretationem habet, omnia ad ædificationem fiant*. Ad quæ Apostoli verba hæc scribit Baronius. *Si attentius inspexerimus, plane intelligemus, quod ad formam spectat, eadem in matutino officio nunc peragi, æque & olim in illo*. Pergit deinde idem author singulas eorum conventuum partes nostris componere, & in Psalmis initium, in doctrina Lectiones veteris testamenti, In Apocalypsi Lectiones, quæ aliquando ab eodem libro depromuntur [quamvis per eam Responsoria, & Hymnos indicari a quibusdam defendatur] in lingua Evangelium, tandem in interpretatione Homilias Sanctorum Patrum adumbrari censet. At longè nimis, & obscurè, ut, multis interiectis, cum Chrysostomo ipse Baronius fatetur : *Sunt hæc potiùs imago quædam, ac signum antiquæ illius Apostolicæ institutionis, quam res ipsa in omnibus omnino illi similis*. Propiorem a nostra matutini formam reperire est apud Patres, Apostolorum ætatem subsequutos; Psalmis enim, Hymnis, & Lectionibus nocturna officia celebrasse suorum temporum fideles scribit Author Sæculi II. Tertull. l. de Anima c. 9. ubi feminæ, quæ ad Montanum defecerat, revelationes exponendo, accuratè describit, quidquid in solemni officio peragebatur. *Prout*, inquit, *Scripturæ leguntur, aut Psalmi canuntur, aut ad locutiones proferuntur, aut petitiones delegantur*. Quod si contendat aliquis de Missa, non de publicis horarum precibus hìc agere Tertullianum, profectò eadem exceptione non refellet Epiphanii, & Basilii testimonia, qui item Psalmis, Orationibus, ac Lectionibus constasse hanc officii partem affirmant. *Matutinæ preces assiduè celebrantur. Magna ex parte in decantandis Psalmis, perpetuis orationibus, ac Sacrarum litterarum lectionibus exercentur*: ita Epiph. Exposit. fidei Cath. c. 23. Simillimam nostris Vigiliarum formam habuisse antiquos Monachos colligitur pariter a Cassiano c. 8. l. 3. de Psalm. modo: *Eas*, inquit, *Vigilias tripartitis distinguunt officiis : nam cum stantes Antiphonas tres concinuerunt humi post hæc, vel humillimis sedibus insidentes, tres Psalmos, uno modulante*

lante, respondent, & his sub eadem quiete residentibus, ternas adjiciunt Lectiones.

Laudum, quibus veriùs ab earum recitationis tempore, matutini officii nomen debetur, originem ab ævo Cypriani ducendam esse non obscurè innuunt, quæ S. D. de Orat. Dom. scribit. *Nobis Fratres dilectissimi præter horas antiquitus observatas orandi, nunc & spatia, & sacramenta creverunt; nam & mane orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur.* Cum igitur ex prima institutione laudes initio auroræ fuerint in Ecclesiis decantatæ, qua hora Dominicam Resurrectionem contigisse fuit semper Ecclesiæ persuasum ex consensu D. Marci c. 16. v. 9. Augustini, Eusebii, Hieronymi, Prosperi, aliorumque passim Scriptorum; exploratum sit ibi de origine laudum disserere Cyprianum. Contendere non immeritò quis posset antiquiorem Cypriano esse hanc Ecclesiastici officii partem, & jam primo sæculo fidelibus usitatam, cum de ea loquatur D. Clem. l. 8. c. 34. Constitutionum Apostolicarum: *Precationes facite Mane, Tertia, Sexta, Nona, Vespere &c.* Equidem utroque pede in hanc sententiam descenderem, nisi vacillaret fides Clementem verum esse authorem operis Constitutionum Apostolicarum; & si certum esset ab Apostolis prodiisse eas, quæ sub Apostolorum nomine inscribuntur, Constitutiones: at cum communiter tantam antiquitatem ab Apostolicis his statutis, ac Canonibus ablegent recentiores; mihique testatissimum fiat Cypriani, immo Augustini ætate posteriorem esse fœtum ex eo, quòd neque Cyprianus ex his Constitutionibus ullum asciverit fulcimentum a se propugnatæ de invaliditate Baptismatis, ab hæreticis collati, sententiæ, quod tamen in his decernitur invalidum, & c. 45. & 46. Apostolorum, neque Aug. ullum ab Apostolis agnoverit circa hoc l. 5. de Baptis. c. 20. scriptum præceptum. *Hæc consuetudo credenda est, sicut multa, quæ Universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis rectè præcepta creduntur, quamvis scripta non reperiantur,* contra sensum 46. ex his Apostolorum canonibus, quos Augustino, Cypriano, Aggripino, aliisque octuaginta Episcopis Africæ, nec non Iconii, ac Synadis Conciliis nunquam præsumendum est fuisse ignotos, si verè effluxissent ab Apostolorum ætate; sequitur nihil esse, quod

ab his vindicemus initium divinarum Laudum institutionis, quarum formam observat Cassianus nostræ ferè similem in Psalmis, quos sub finem Nocturni officii decantare solebant veteres Monachi Orientis, cum ad primam lucem protrahebatur Vigiliarum cantus.

Ex citatis Apostolicarum Constitutionum verbis sunt, qui opinantur Primam designari, sed neque hujusmodi hora tantam sapit in Ecclesia antiquitatem: illorum enim semper animo mihi insedit opinio, qui tempore Cassiani excogitatam tuentur publicam hanc orandi partem, ut ipse met Cassianus author est l. 3. Instit. c. 4. Novum hoc pensum diurnis precibus superaddendi ea adducitur causa. Indulgebat tum ætatis Monastica disciplina, ut quid temporis spatium post decantatas laudes somno darent Monachi: hac indulgentia tamen abutebantur nonnulli, quietem ad horam tertiam protrahentes, cum præsertim longum fuerat noctis officium: qua de re. *Ad seniores delata querela, decretum est ab eis diutino tractatu*, ut, exoriente Sole, imposterum simul omnes convenirent, nec discederent, nisi *tribus Psalmis & orationibus celebratis*, in quo consistebat prima hæc Orationis hora, forma a nostra parvum discrepante. Sic obviam itum est ingruenti prolixioris somni abusui, & ex peculiari monasterio, ubi hoc emersit decretum, sensim sine sensu ad alias Monachorum communitates, inde ad totam Ecclesiam pervasit: neque enim continuò ut pote novitatem disciplinæ præseferens erectum signum, nec sectatores habuit inconsultos. Quin neque ubique locorum ad quotidianas preces assumpta fuit oratio Primæ; si ex diversis Cæsarii Arelatensis scriptis aliquam liceat deducere conjecturam. In sermone siquidem 140. Augustinianæ Appendicis, ubi recenset orationum tempora, ad quas hortatur, ut conveniant fideles, nec non in Regulis, quas ad Monachos, & ad Virgines conscripsit, ne ullum quidem de Oratione ista deprehenditur verbum: at vero in alia regula, quam Bollandus luci dedit, Cæsarius præscribit: *dicendam esse Primam cum Psalmis sex Dominica, vel Sabbato, & majoribus festivitatibus*. Oriens ne, an Occidens divinæ hujus laudis prima audierit incrementa, non satis consonant auctorum sententiæ. Bulteau Maurinæ Congregationis alumnus libro 2. c. 7.

c. 7. Orientalis Monachorum historiæ Gallico idiomate conscriptæ in Bethlemitico Cœnobio, alio tamen a Hieronyminiano prodiisse novam institutionem affirmat, illudque esse addit Monasterium, quod nunc Monachi Armeni incolunt. Communiter tamen in Occidente, seu in Monasteriis Galliæ superadditam fuisse usitatis horam primam prætendunt alii. Utri magis vero accedant, ad rem nostram parvi interest disquirere: interest quidem notare ex hoc dissidio assertum a nobis hujus horæ initium a Monachorum disciplina magis adhuc confirmari, ut nemo est, qui non intelligat.

Porrò objectæ Clementis authoritati ad fastidium usque repetito responso juvat respondere, & dicere, quod Humbertus Cardinalis Episcopus Sylvæ Candidæ, & Legatus Leonis IX apud Bizantium respondit olim Nicetæ Pectorato, sibi contra Sabbati jejunium objicienti quædam loca, ex iisdem Constitutionum Apostolicarum libris deprompta. *Hoc asserere conaris ex Apocryphis libris, & canonibus sanctorum Patrum pari sententia repudiatis.*

Tertiam, Sextam, Nonam ab ipsis Apostolis frequentatam, ipsisque fuisse solemniores orandi horas nullum dubitandi locum reliquit Tertull. l. de jejun. c. 10. *Tamen tres istas horas, ut insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publicè resonant: ita & solemniores fuisse in rebus divinis, quod etiam suadet Danielis argumentum, ter in Dies orantis per aliquarum horarum exequutionem, non aliarum autem, quam insigniorum exinde Apostolicarum Tertiæ, Sextæ, Nonæ. Hinc itaque, & Patres dicam ex veteri potiùs usu Nonam observasse tertio orantes supremæ orationis munere.* Ejusdem institutionis argumentum certissimum ex Scripturis petere potueramus. Nonne Apostoli, & reliqui discipuli erant hora tertia orantes, cum Divino spiritu fuerunt in cœlestes viros immutati Act. 2. v. 15. Nonne hora Sexta Orationi indulgebat Petrus Act. 10. v. 9. Nonne rursus idem Petrus *ad templum ascendebat cum Joanne hora orationis nona* Act. 3. v. 1. Ritum persolvendi has horas describit Magnus Athanasius l. de Virgin. *Tertia Synaxim conficies .... Sexta hora absolves deprecationes cum Psalmis, ploratu, & supplicationibus ..... Nona hora rursum in Hymnis, & glorificationibus eris*

cum

cum lacrimis, & confessione peccatorum tuorum Deo supplicabis, quoniam &c. In hoc horarum cursu habemus præterea ex Cassiano de Can. diur. orat. c. 12. Psalmorum numerum nostro haud imparem fuisse, *Supra dictarum horarum solemnitates tribus Psalmis quotidiè finiuntur*.

Vesperarum originem ipso Cypriani ævo collocandam esse cogimur confiteri ab iisdem verbis, quæ supra ex Sancto Doctore decerpsimus ad stabilienda divinarum laudum primordia. *Fratres dilectissimi*, ait, *præter horas antiquitùs observatas orandi, nunc & spatia, & sacramenta creverunt; nam & mane orandum est ut ..... Recedente item sole, ac die cessante, necessariò rursus orandum est. Nam quia Christus sol verus, & dies verus est, Sole a die sæculi recedente, quando oramus, & petimus, ut super nos lux denuo veniat, Christi precamur adventum, lucis æternæ gratiam præbiturum.* Inter spatia orandi igitur, quæ horis nocturnis, Tertiæ, Sextæ &c. superaddita suo tempore fuisse testatur Cyprianus, est Oratio summo mane, & recedente sole, a fidelibus exhibenda; cumque usque a prima ejus origine vesperarum hora celebraretur, vergente ad occasum Sole, unde, & illi tale nomen inditum est, ut infra demonstrabimus; ambigendum non est de Vespera Oratione loqui in laudato loco Cyprianum. De eadem officii parte loquitur Athanasius, qui ad initia quarti sæculi floruit l. de Virgin. *Si*, inquit, *ingrederis in templum duodecima hora, majorem, & longiorem facies Synaxim*, hoc est orationem, ut plurimum enim hanc vocem pro divino officio, vel ejusdem parte usurpari ab antiquis Scriptoribus dictum est supra c. II. ut & Hieronymus ad Lætam alio Sacrificii nomine donat Vesperas: *Accensaque lucerna assuescat reddere Sacrificium Vespertinum*, mutuata expressione a Regio Psalte, qui Psal. 140. iisdem verbis usus est ad exponendam orationem a se sub finem diei præstitam: *Elevatio manuum mearum Sacrificium Vespertinum*, quem forte sequuta est Ecclesia in instituendo tali tempore id orationis genus, ut & ejusdem Prophetæ sanctissimum æmulata est exemplum, septies in die orandi juxta illud Psal. 118. *Septies in die laudem dixi tibi*. Rufinus in vitis Patrum l. 3. c. 5. refert per Psalmos, & orationes absolvi solitam hanc officii partem, dum loquitur de monachis in vastissi-

ma

ma eremi folitudine alios pervifentibus: *Facto vefpere Orationes, & Pfalmos fecundum confuetudinem compleverunt*, majori utique numero, quam aliud trium minorum horarum penfum abfolvere mos effet: fic enim Bafil. explicata forma habendi publicas preces hora Tertia, Sexta, Nona, fubdit: *Si ingredieris in templum duodecima hora, majorem, & longiorem facies Synaxim*. Quod argumentum eft fingulas noftri officii horas quam proxime accedere ad primam earum inftitutionem, & ad ipfam femper refpexiffe Ecclefiam in multis mutationibus, quas pro temporum, & locorum diverfitate hac in re conftituere neceffe fuit.

Qui ex Davidico fonte Completorii originem derivant, rem pro merito non attingunt: nam fi David Completorii habendus effet author, quòd ante fomnum Deo preces funderet Pfal. 131. *Si dedero fomnum oculis meis, donec inveniam Domino*; jam nulla Ecclefiaftici officii pars foret, quæ ad hunc fontem referri non poffet. Author Nocturni officii audiret Pfalmifta, qui *media nocte furgebat ad confitendum Deo* Pfal. 118. Laudum pariter, Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Vefperarum foret inftitutor propter illud Pfalmorum 5. *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo. Mane exaudies vocem meam*. & 54. v. 18. *Vefpere mane, & meridie annuntiabo laudes tuas*. Minus itaque aberrant, qui aliquod hujus horæ veftigium in Cypriano, Bafilio, & Ambrofio legunt, licet non adeo perfpectum fit, an ab ætate Cypriani, feu potius Bafilii, & Ambrofii effluxerit ufus laudes Deo per hanc horam perfolvendi. Per me a vero non abludunt primam in Cypriano, quam in Bafilio, & Ambrofio deprehendentes Completorii mentionem. Quare a tertio fæculo ejufdem initia repetenda cenfeo. Enimvero Cyprianus l. fupra cit. *de Dom. Orat.* duo diftinguit orandi tempora; *Recedente nimirum fole*, cui refpondet Vefperarum hora, & ceffante die, cui profecto alia aptari non poteft officii pars, præter Completorium ad initium noctis, feu ceffante die, antiquitùs recitatum, uti tradit Bellarm. l. de Bon. Op. c. 12. §. *Porro tempus Canonicum*. Cypriano fateor concinere deinde loquentem de eodem, fed jam recepto inftituto, Bafilium 37. inter 55. Interrog. Regul fufiùs difp. *Completo verò jam die, pro iis omnibus, quæ in eo nobis data fuerunt,*

gra-

gratulatio succedet, eorumque, quæ vel imprudenter, vel prudenter admissa sunt, confessio, ac sicubi latens aliquod delictum admissum fuerit, verbis, operibusve, aut etiam corde pro his omnibus, oratione adhibita, veniam nobis a Deo comprecabimur. Et Ambros. l. 5. Hexam. c. 12. *Quis*, inquit, *sensum hominis gerens non erubescat sine Psalmorum celebritate diem claudere*. Fateor insuper tam in Cypriano, quam Basilio, & Ambrosio vestigium aliquod duntaxat legi hujus horæ, nam ab antiquis Ecclesiæ Doctoribus certum est clarum hauriri non posse ejusdem ritum, cum certa forma orandi penes universam Ecclesiam non obtinuerit primis temporibus Completorium, uti notant, qui de Ecclesiasticis ritibus opera concinnarunt. Verum quoque est nostro Completorio propiùs accedere a Basilio, quam Cypriano, & Ambrosio descriptus ordo: memoratur enim ibi confessio peccatorum, petitio, ut quies capienda sit ab omni perturbatione, ac vitio libera, tandem sermo est de recitatione Psalmi. *Qui inhabitat*. *Qua hora etiam* subdit. l. 1. *necessario nonagesimus recitari Psalmus debet*. Prope fuit etiam, ut dicerem, neque eodem tempore per totam Ecclesiam, & homines Ecclesiastico penso adstrictos propagatam novam hanc Dei precandi Disciplinam, ut profecto erat dicendum, si huc spectaret, quod Rufinus in vitis P. P. l. 3. c. 5. scribit de Monacho Fratres in solitudine invisente. *Vespere ad luminaria* [hoc est ad orationes fieri solitas, luminibus accensis, ut hora Vesperarum absolvebatur] *addit super consuetudinem alios Psalmos*.

Hactenus de singularum horarum institutione: nunc de tempore, quo singulæ publicis conventibus decantabantur. Atque, ut recta methodo procedamus, a nocturno officio exordium repetimus. Eruditorum calamo agitata est quæstio de Nocturnorum recitatione. Quidam, quos inter Angel. Doctor. 1. ad Cor. c. 14. l. 6. putant in morem veteris Ecclesiæ positum fuisse, ut ter surgerent fideles nocte qualibet ad sejunctim celebranda tria nocturna. Refragantur huic consuetudini Azorius, aliique multi de antiqua disciplina admodum periti viri, quibus nullum suppetere videtur è ruderibus antiquitatis erutum monumentum, unde suf-

ficientes stabiliatur hæc divisis temporibus nocturna recitandi consuetudo. Et certè si res primò deferatur ad veterum Patrum tribunal, a quibus maximè est antiquorum Ecclesiæ morum petenda notitia, nihil ejusmodi evinci liquebit. Justinus, Tertullianus, Cyprianus, Athanasius, Epiphanius, Gregorius Nissenus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Paulinus, Victor Uticensis, & alii plures de nocturno officio meminerunt in suis scriptis, nihil autem habent, quod separatæ nocturnorum recitationi dilucidè faveat: vero simile autem non est antiquissimos Patres alto involuisse silentio consuetudinem, Catholicæ pietatis extollentem laudes; vel in hortationibus ad populum habitis pro frequentando hoc Religionis exercitio, eam omnino præteriisse, si inter fidelium cœtum reipsa viguisset sejuncta recitatio, vel [quod attentius considerandum est] plures Patrum rem adeo disertè affirmasse, ut non nisi de oratione uno noctis tempore celebrata explicari possint ejus verba. Pro multis unum, aut alterum excitatis Patribus promatur testimonium. De nocturno officio en quomodo loquatur Athanasius l. de Virgin. *Media nocte excitaberis, & hymnis celebrabis Dominum Deum tuum* & Amb. in Psal. 18. *Surgebat noctis medio David, ut Domino confiteretur, tu totam noctem sopori existimas deputandam? tunc magis tibi orandus est Dominus*. Unico huic Deum nocte deprecandi tempori suffragari videtur Ecclesia, quippe cui in instituendo novo officiorum ordine nihil antiquius fuit, quam primævum imitari ritum; & tamen sub uno nocturno præscribit recitandum feriale officium ad singulos hebdomadæ dies, excepto Dominico: imo ipse ferialis cursus nobis frequentatus cum antiquissimæ sit institutionis, & maximæ in Ecclesia authoritatis, antiquissimam in hoc Ecclesiæ declarat consuetudinem: si enim pro ferialibus diebus Pontifices, vel alii, qui reformando Breviario operam navarunt, non novam procuderunt officii formam, sed, paucis immutatis, exhibuerunt qualem ab antiquiori Ecclesia, atque adeo quasi a prima, veluti per manus acceperant; quis non videat jam ita antiquitùs ordinatum Ecclesiasticum pensum, ut unico noctis tempore expleretur? Accedit quod neque Monasteria antiquarum consuetudinum tenacissima legamus ter noctu surge-

gere ad Psalmodiam, sed uno cantu, totum notis officium peragere. A vero autem quam maximè abhorret affirmare tot Religiosorum Congregationes pluribus antiquarum adhæsisse institutis, in hoc a veteri descivisse: imò fidem excedit omnes unà conspirasse in hanc regularis observantiæ relaxationem, & cùm antiquiores Patriarchas a primis Monachorum institutoribus modum, quem in regulari disciplina præscriberent filiis, decerpentes, tum recentiores nihil egisse, ut restituerent Ecclesiæ tantum antiquitatis vestigium; cum tamen per suam institutionem profiterentur primævam Monachorum observantiam ad unguem restaurare. Quod si Basil. in Regul. fus. disp. Interrog. 37. & Hieron. ad Eustoch. expressè mentionem faciant de tribus temporibus, queis separatim noctu habebatur oratio suo tempore; unde Baronius ad annum Christi 51. suspicatur aliquando in Ecclesia viguisse distinctam hanc recitationem, atque his suffragantibus Doctoribus maximè inniti afferat contrariæ sententiæ Patronos, quod si, inquam, id innuant Basilius, & Hieron eorum verba tamen ita interpretanda sunt, ut primum nocturnæ orationis tempus intelligatur de Completorio, alterum de tribus Nocturnis, tertium de Laudibus, quas omnes officii partes nemo nescit decantari solitas eo temporis spatio, quod ab occasu solis unius diei ad ortum alterius intercedit, & proinde tempore nocturno; neque aliter videtur Baronius idem ad annum Christi 34. intellexisse S. Doctorem, saltem quoad tertiam orandi vicem; nec profectò aliam patiuntur interpretationem Basilii verba, nisi quis textui vim velit inferre, ut rem consideranti patebit. His licet ad hujus sententiæ præsidium ratiocinari.

Verùm hæc non ea esse videntur, quæ ita valeant extorquere assensum, ut & alteri sententiæ affirmanti distincto tempore decantatas nocturnas preces assentiri vetent: namque huic magni nominis adstipulantur Doctores, & plura ex antiquitate momenta stabiliunt. Card. Bona *de Psalmodia* c. 4 §. 3. hæc habet: *Olim Christiani tribus primis vigiliis nocturnos divisim, quarta laudes recitabant.* Bellarm. l. 4 *De bonis operibus* c. 11. *Quod attinet ad Nocturnos varia fuit Ecclesiarum consuetudo: alicubi apud veteres tres nocturni tribus distinctis Vigiliis celebrabantur: sic enim scribit S. Hier. ad Eustach.* Fran-

Francol. de Horis Canon. c. 1. n. 14. *Nocturni antiquitùs dicebantur divisim secundum tres vigilias noctis*. Guill. Durand. in Rat. Div. Offic. l. 5. c. 3. *Sciendum autem est quod in primitiva Ecclesia Ministri Ecclesiæ ter de nocte interpollatim surgebant ad divinum offitium celebrandum*. His succinunt D. Thom. Ep. ad Cor. Suarez tom. 2. de Relig. Cosmas Guimerius in Statuto Gallicano, & ex antiquis Rupertus l. 1. de Divin. Offic. Isid. de Offic. l. 1. c. 19., Clem. Alex. Pædag. c. 9. ubi: *quo circa etiam sæpe*, inquit, *noctu surgendum est de lecto*. Patrum, ac Theologorum auctoritati accedunt Monastica Statuta. Columbanus Regul. c. 7. *Quidam Catholici reperiuntur, quibus idem est canonicus duodenarius Psalmorum numerus, sive per breves, sive per longas noctes: sed per quaternas in nocte vices hunc canonem reddunt; initio noctis, ad mediumque ejus, ad pullorum quoque cantus, ac Matutinum; qui cursus sicut in hyeme parvus videtur aliis, ita in æstate onerosus videtur, ac gravis invenitur; dum crebris in noctis brevitate expeditionibus non tam lassitudinem facit, quam fatigationem*. S. Fructuosum quoque Braccarensem Episcopum ter singulis noctibus Deo laudes a suis Monachis persolvi constituisse testatur P. Martene l. 1. c. 1. *de Antiquis Monach Ritibus*: & huc spectasse videtur, quod ex persona Christianorum loquens, eructare ausus est Lucianus in Phylopat. *Ad Hymnos tota nocte decantandos vigilantes, talia somniamus:* porro si media tantum nocte, vel semel singulis noctibus ad orandum vocasset orationis pensum veteres Christianos: profectò impius ille auctor numquam asseruisset eos tota nocta in oratione perseverasse vigilantes. Hæc, atque alia ab aliis proferri solent ad stabiliendam vel conjunctæ, vel separatæ nocturnæ orationis opinionem.

His tamen non obstantibus, semper mihi visus sum a veri orbita futurum ut non aberrem, mediam inter utramque opinionem complexus: sic enim oppositæ Patrum sententiæ, Ecclesiæ praxis, atque alia, quæ pro utraque opinione occurrunt, facillimè conciliari posse videntur. Itaque puto noctibus diem Dominicam festasque solemnitates præcedentibus sejunctim, aliis vero noctibus uno tempore celebrata fuisse a fidelibus Nocturna Officia. Quare Patres unum mediæ noctis tempus destinatum nocturnis precibus indigitantes,

tes, explicandi ſunt de iis noctibus, quas nulla excipiebant diei, vel Sanctorum ſolemnia: alii vero tria orandi ſpatia per noctem memorantes, interpretandi ſunt de Officio diei Dominicæ, vel ſolemnioris ob Sanctorum feſtivum cultum, ut eſt illud Clem. Alex. in Pædagog. c. 9. *Quo circa ſæpe etiam noctu è lecto ſurgendum eſt, Deuſque eſt laudandus;* & illud Hieron. ad Euſtoch. *Nocte bis terque ſurgendum eſt, revolvenda, quæ de Scripturis memoriter tenemus:* nec non aliorum Patrum, qui hac in re adduci poſſent. Hoc diſcrimen aliunde præterea ſuadetur. Quis enim priſcorum Eccleſiæ rituum, & diſciplinæ uſque adeo imperitus eſt, quem lateat majori cultu exactas a Chriſtianis noctes, quibus feſti dies ſubſequebantur, quam aliæ per annum exigerentur? Solebant his pervigiliis Chriſtiani omnes totam aliquando noctem inſumere inter exercitia pietatis, Pſalmorum, Hymnorumque cantum, & jugem orationum in Eccleſiis frequentiam. Notabile eſt decretum c. 1. Concilii ſecundi Matiſconenſis de pervigilio diei Dominicæ. *Noctem quoque ipſam, quæ nos inſperatæ luci inaceſſibili reddidit, ſpiritualibus exigamus excubiis, nec in ea dormiamus, quemadmodum dormiunt, qui nomine tenus noſcuntur eſſe Chriſtiani:* & Greg. Turon. de aliis feſtivis ſolemnitatibus ſententia c. 90 *Renovant ſolemnia, & tota nocte in Vigiliis excubant: mane autem facto, dum &c.* ut etiam Gregorio antiquioris Socratis teſtimonium de Vigiliis Sanctorum pro more Eccleſiæ Orientalis l. 2. Hiſt. Eccl. c 8. *Veſpera quidem erat; populus autem per totam noctem vigilabat, quia Synaxis futura erat,* habita utique feſtis Diebus, ut exploratum ex veteri diſciplina nemo inficiatur. Habemus ex Cæſario Arelatenſi in Recapitulatione Regul. c. 15. nec non ex Epiſtola Lupi Tricaſſini, & Euphroni Auguſtodonenſis Epiſcoporum ad Salaſium Andegavenſem Epiſcopum olim ſacratiſſimas pervigilii nativitatis Chriſti Domini, ac Epiphaniæ noctes inſomnes a priſcis Galliæ Chriſtianis traductas. *Natale Domini,* inquit Cæſarius, *& Epiphaniam ab hora tertia noctis uſque ad lucem vigilandum eſt.* Euſebio teſte, Conſtantinus, Idolorum in Crucis obſequio commutato, facibus vias illuſtrari curavit, ut commodiùs ad nocturnos conventus Paſchæ pervigiliis fideles properarent: *Lampades quoque accen-*

censæ cuncta passim loca illustrabant. Narrat in Leone IV. qui circa medium IX. Ecclesiæ sæculum clavum Ecclesiæ moderabatur, Anastasius vetustissimam Romæ fuisse consuetudinem hac solemnitate præcedentem Assumptioni Deiparæ noctem transigendi: *Assumptionem autem Beatæ Dei Genitricis diem Vigiliis sacris, matutinisque cum omni Clero pernoctans, Laudibus in Basilica ejusdem B. semper Virginis celebrari præcepit*.

Ab eodem pietatis exercitio nequidquam Monasticæ Regulæ professores abhorruerunt: nam Bollandus ad Kalendas Februarii in vita S. Auxentii Archimandritæ litteris commendat, ab ipsis Monachis vigilando inter preces transactam noctem, quæ Dominicum diem antecedebat: *Familiares suos cum iis, qui inveniebantur, Pater jubebat tota nocte evigilare*, ac S. Cæsarius in Regul. ad Virg. *Ab hora tertia*, inquit, loquendo de solemnioribus per annum festis, *usque ad lucem vigilandum est*. Cæsario consonat Aurelianus in utraque Regula ad Monachos, & ad Virgines conscripta, de qua in Annalibus Francorum V. Cl. Cointius; nec dissentit Cassianus l. 3. c. 8. his constituens discrimen inter officium reliquorum dierum, & solemnitatis Dominicæ; cum enim retulisset longiora per hos dies concedi orationibus intervalla, subjungit hæc Monachos *tripartitis distinguere officiis*. *Et* in vita S. Sabbæ Cyrillus Scythop. de Nocturnis in Dominicæ pervigilio. *A Vespera usque ad mane Vigiliæ in utraque Ecclesia diebus festis, & Dominicis fiebant*. Nec aliò sane spectasse videtur D. Benedictus, cum Regul. c. 11. suis præcepit, ut maturiùs ad Vigilias Dominico die festinarent: *Dominico die temperiùs surgatur ad Vigilias*. Quod si apud aliquos Monachorum cœtus legatur feriarum quoque diebus ter ad divini officii cantum Monachos convenisse, ut in Regul. Cujusdam *ad Monachos* c. 20. *Tribus conventibus diei, totidemque noctis tempore in Ecclesia conveniendum*, & alibi; hoc tanquam peculiaris instituti communi Ecclesiæ consuetudini nihil officit: licuit cuilibet Institutori suo abundare sensu, illamque suæ institutionis alumnis præscribere officii canendi rationem, quæ pio genio magis arrideret. Certè olim Acmetas toto diei, noctisque intervallo divinæ Psalmodiæ in-

invigilasse memoriæ accepimus commendatum, & tamen hujusmodi ritus nemini argumentum erit, ut id ab omni Ecclesia observatum affirmetur.

Ex his vero non infimum asserto nostro suppetit argumentum: si enim sæculares homines, & Monachi tam diverso orandi apparatu harum noctium agebant solemnia, procul dubio asserendum est speciali quodam instituto, ac solemnitatis forma etiam ab Ecclesiasticis viris distinctas fuisse hujusmodi noctes, & hoc institutum in separatis conventibus fuisse situm, quemadmodum clarè aliqua ex adductis momentis evincunt; idque tum ut populo assiduè oranti, exemplo præiretur, tum ut vigil detineretur, oblata occasione alium ex alio expectandi sacerdotum ad publicam orationem conventum. Mos iste vigiles in Ecclesiis ante diem festum ducendi noctes viget etiamnum apud Cophtos, ea noctium intervalla matutinum inter officium, & mysteria sacra terentes. Ad id pariter facit argumentum de praxi Ecclesiæ circa Ordinem ferialis officii, adoptatum ab iis, qui nocturnum officium unica recitatione propugnant quondam fuisse indiscriminatim decantatum. Cum enim dicant Ecclesiam rationem habuisse primæ officiorum institutioni in nova horarum reformatione, & prope eamdem formam, quam longa sæculorum traditione acceperat ab antiquis servatam, nobis consignasse in feriali officio; cur non, & nobis idem erit dicendum de Officio diei Dominicæ, aliarumque solemnitatum, paris absque dubio cum feriali antiquitatis? Etsi uno temporis intervallo inferunt illi decantatum fuisse ferialem cursum, quòd sub uno nocturno contineatur ejus ordo; cur non propter eamdem rationem intulerimus tribus distinctis horarum spatiis peractum officium noctis Dominicæ, aliorumque festorum, quòd tria nocturna ejus ritus complectatur?

Ne verò quid dissimulare videamur; verum est jam solemniis per annum Paschatis, & Pentecoste unico nocturno totum tenebrarum officium fuisse comprehensum, teste Durando ex Greg. VII. Decreto. At in primis, si ex VII. Gregorii jussu hæc invaluit consuetudo, non tantam jactare illa potest antiquitatem: sanctus enim Pontifex Greg. sæculo dumtaxat XI. in Petri Cathedra sedisse constat: deinde, ut ut

Gre-

Gregorio fuerit tantùm probata consuetudo, quam multò ante Ecclesia receperat; ait enim Greg. in suo decreto de Consec. d. 5. c. *In die*: iis festis, *Tres Psalmos tantùm ad nocturnos, tresque lectiones antiquo more canimus, & legimus*; non vero de novo introducta: tamen alium apud alios viguisse morem habemus compertum; siquidem in Aquisgranensi Concilio jam sæculo IX. celebrato, habemus diù, multumque controversiæ Monachos inter, ac Clericos indultum, ut illi, relicto longiori officio, per Paschatis solemnia officium trium lectionum a Clericis decantatum adoptarent, in quem ritum licet plures consenserint, alii tamen avito mori adhærere indivulsè voluerunt, & quidem non nisi divinis prælucentibus prodigiis ab antiqua officii per hos dies ratione desciverunt: narrat enim Bernardus l. Mir. S. Roberti Abbatis Casæ Dei d. 3. n. 4. Roberto *ad æthereas sedes evecto*, ejus discipulos dixisse: *Monachi sumus, in tam excellentibus festivitatibus 12. Lectiones Monachorum more, non tres usu Canonicorum exequi debemus. Quod cum ab omnibus statutum fuisset, contigit, ut sequenti die S. P. non sine nutu divino, ut creditur, nullus a tanta multitudine evigilaret, donec aurora elucesceret. Non valentes itaque 12. lectiones, tres more paterno divinitus correcti, & hinc gratantes cœperunt excolere.* Tandem plura his pervigiliis occurebant, quæ prolixius officium decantare non patiebantur. Duæ suppetunt ex Guillielmo Durando Ration. l. 6. c. 87. causæ, queis Ecclesia adducta statuit breviorem in Paschali solemnitate cursum: *Primò*, inquit, *quia partitur hominibus propter præcedens jejunium attritis, secundò ne Neophyti multitudine onerentur.* Enim verò pia mater, quæ suos non gravi, sed suavi gravatos jugo voluit qualibet ætate, viderat maximum fore onus, si ad illucescentem diem inter frequentatas de more per Sanctorum solemnia preces, detinerentur fideles post tam insolitum, & a communi abhorrens jejunium: siquidem Orientales populi a refectione diei Cœnæ Dominicæ ad mediam noctem Magni Sabbati, hoc est ad Dominicum Resurrectionis diem jam advenientem, prorsus jejuni perseverabant ex can. 89. Conc. Quin-Sexti: *Die salutiferæ passionis in jejunio, & oratione, & cordis compunctione peragentes fideles, usque ad*

me-

mediam magni Sabbati noctem jejunare oportet: immo, teste Epiphanio lib. adversus Hæreses totam majorem hebdomadam *Xerophagiis*, aut solo pane contenti transigebant iidem Orientale: *Xerophagiis, idest arido victu, populus omnis consuevit, sive panem dumtaxat sub vesperam cum aqua potu ad corporis refectionem adhibere*, atque idem ætate quoque nostra obtinere apud Armenos memoriæ prodiderunt, qui nuperrimè remotas eas regiones lustrarunt. Occidentales pariter a tanto abstinentiæ rigore non abhoruisse narrat idem Epiphanius loco mox laudato. *Nonnulli ad biduum, vel quatriduum jejunia prorogant; & alii etiam per hebdomadam integram usque ad sequentis Dominicæ Gallicinium sine cibo transmittunt*. Hac in re legendus etiam Clem Rom seu author Constit. l. 5. c. 17. ac præcipuè VIII. Sæculi scriptor Alcuinus, sive auctor l. de Div. Offic. c. *de Cœna Domini* Quamobrem, ne onus onere cumularetur, horarum cursum hac nocte Ecclesia contraxit. Præterea eidem contrahendo ansam facilè præbuit divina solemnitas, quæ ad multam noctem olim protrahebatur. Quanta enim Deus immortalis [liceat tantisper digredi] erat sacrorum hoc die diversitas, quanta rituum multitudo! Novi ignis, novi thuris, novi cerei benedictio cum multiplici orationum cursu erat hoc die expedienda: lectiones ad Cathecumenos instituendos usque ad quatuor supraviginti in quibusdam Ecclesiis partim Græcè, partim Latinè legebantur: triplicem, & alicubi quinam, alicubi septenam Cantores Litaniam recitabant: occupatos etiam sacros Ministros detinebat cùm Baptismali fontis benedictio, tum ipsa Baptismatis cum longiori cæremoniarum, quam ætate nostra, usu administratio, quibus accedebat baptizandorum numerus, explorato ex Decretali Syricii ad Hincmarum Tarraconnensem Episcopum, ex Matisconensi VI. sæculi decreto, aliisque, excepto necessitatis casu, sanctum Baptisma fuisse sabbatis tantùm Paschæ, ac Pentecoste dies præcedentibus administrandum, & quidem adeò religiosè id cautum, ut ex Toletana Synodo obserrandi essent initio Quadragesimæ sacri fontes, ne quis eo tempore contra Ecclesiastica statuta conferendi Baptismatis licentiam sibi arrogaret. Tantis itaque sacrorum functionibus, queis missarum solemnia succedebant, & dies tota, & me-

media sui parte nos elabebatur, distracta Ecclesia, mirum videri non debet, si nocturnum officium contraxerit, illudque ad eam redegerit brevitatem, qua ad nos transmissum pervenit. Porro idem officium contractum per integram hebdomadam persolvebatur; etsi non duobus tantùm, ut ævo nostro, sed sex omnino subsequentibus, ad Dominicam nempe in albis, diebus olim festivo apud omnes ritu, & indicta ab operibus abstinentia Paschalis solemnitas recoleretur, quemadmodum legibus tum Ecclesiasticis, tum Civilibus ab utraque Orientali,& Occidentali Ecclesia profectis fuerat cautum: eadem, inquam,brevitate legebatur hac hebdomada officium, quia, ut inquit Durandus, *omnes isti dies septem sunt, quasi una dies Dominica*. Non alia brevioris officii Pentecostes in causa fuisse liquebit.

Neque veteri recentior obstat praxis, qua non diebus tantùm festis, sed majori anni parte tres Nocturni frequentantur: id enim parvum negotii facesset, consideranti olim exiguas admodum Sanctorum per annum solemnitates celebratas, & has vel sub ritu duplici, adeoque festivo etiam die, ac cum populorum solemniori ad Vigilias concursu, vel sub ritu simplici, adeoque in unius dumtaxat Nocturni cursu: *Illorum qui in Calendario locum habent, alii festo simplici, alii duplici coluntur*, ait Frontonus in prænot. ad Calend. Rom. Sæculi VII. vel VIII. §. 2. Ad quod stabiliendum, si nova liceat uti digressione, non admodum operis impendendum. Cui enim est incompertum numero exiguo primis Ecclesiæ temporibus fuisse Sanctorum festa? Nullius Sancti celebrabatur apud priscos solemnitas, nisi in Diœcesi illa, ubi, & ejus cineres quiescerent, & populi ad Stationes peculiari studio confluerent, & dicatum locum obtinerent: erigebatur autem hic locus vel sub Basilicæ titulo, vel Cœmeterii, Oratorii, aut Martyrii nomen ei imponebatur. Hinc Antonius primus Eremi cultor obscuro voluit tumulari loco, ne Martyrium sibi erigeretur a Pergamio ad sui memoriam solemniter recolendam: *Oratorium*, ait Front. ad Kal. Nov. *construitur in omnium Sanctorum honorem. Nam solemnitas Sanctorum quorumcumque supponit ante locum illis sacrum*. Deinde primis Ecclesiæ sæculis iis tantum officii honor impen-

 de-

debatur, qui Martyrio affecti, Deo spiritum reddidissent, & ex iis non omnes, sed qui post accuratam Episcopi investigationem fuissent vindicati, ut loquitur Mansurius Carthaginensis Antistes apud Optatum l. 1. immo cum Sanctorum fastis etiam Confessores adscribere Ecclesia cœpit, non continuò locum dabat omnibus in Calendario, ut proinde cuncti officium, vel festum diem sibi vindicarent. Hoc videre est in Frontonis Calendario tribus, vel quatuor integris sæculis exarato, postquam Sanctis Confessoribus honos publicus fuerat ab Ecclesia delatus: ibi enim non nisi quatuor adscripti occurrunt Confessores, Gregorius nempe Magnus, Leo P. Sylvester, & Martinus, de quo tamen dubitatur, num Martyr sit, & Pontifex Summus, an Turronensis Episcopus; cum Martyri suffragetur Cheronensis civitatis testimonium, & dies ipsa decima secunda Novembris, qua in Calendario apponitur, eadem profectò, ac in Calendario nostro de Martino Martyre festum peragitur; & Turronensis nomen decima prima die conscribatur, Eadem S. S. Confessorum paucitas apparet in Calendario Ecclesiæ Carthaginensis maximæ quidem vetustatis, at Sanctorum solemniis recentiori, & a V. Cl. Mabillonio tertio Analectorum tomo vulgato. Ad hæc a divino officio Sanctorum solemnitates integro Quadragesimali cursu olim fuerant ablegatæ, ita ut præter sabbatum, ac Dominicum diem nullus nisi trium Lectionum absolveretur cursus, & in publica, & in privata recitatione, uti ex Martini Braccarensis c. 48. & Laodicenæ Synodi c. 51. colligitur, ubi Martyrum festa celebrari in Quadragesima vetatur: & si qua Socrati, ac Sozomeno fides, etiam die sabbati feriale officium a Romana, & Alexandrina Ecclesia frequentabatur; cujus disciplinæ vestigiis inhæsisse videntur novi Breviarii Recognitores, qui licet omnia S. S. festa ab hoc tempore non amandarint, eorum tamen Octavas voluerunt per Quadragesimam exclusas, ideoque Deiparæ Annuntiatio sine Octava instituta, ne videlicet feriale officium impediatur, quod Concil. Tolet. ævo vel ipsi Virginis celebritati non cedebat, quia hoc tempore, *nihil*, ait, *de Sanctorum solemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit celebrari*, quam solemnitatem paucis post annis celebrata Synodus

dus Trullana, deinde celebrari permisit. Videatur hac de re Micrologus c. 48.

Sed, ut unde digressi, tandem revertamur. Stabilito nostro recitationis officii Nocturni discrimine; modò exponendum est qua ferialibus, qua festivis diebus hora consurgerent fideles ad decantandas divinas Laudes. Hora duodecima, hoc est medio noctis cursu habitos Nocturnos conventus tempore non festivo, evincunt mox adductæ Ambrosii, Athanasii, Basilii, nec non Hieronymi, aliorumque authoritates, quibus accedit communis antiquorum, ac recentiorum consensus, praxisque ipsa Monasteriorum, apud quos purior antiquæ disciplinæ perstat rigor, & tandem aliquarum Cathedralium priscæ consuetudini tenaciter adhærentium, qualis Metropolitana Parisiorum, ubi adhuc contra tentatam abrogationem media nocte Sacerdotum voces in divinis laudibus resonant.

Quoad festorum pervigilia, cum distinctis horarum spatiis tria nocturna agebantur. Præmittendum est antiquis solemne fuisse totam noctem in quatuor partes secare, quarum singulis Vigiliarum nomen indiderant. Loquuntur de his Evangelistæ, & præsertim Lucas c. 12. & pro earum usu afferri etiam possent Etnici viri Christiana æra multo antiquiores, testantes in sacris, prophanisque rebus habitam rationem plurium per noctes Vigiliarum: Illarum spatia describit Aug. Serm. 12. de Verb. Dom. *Quarta Vigilia noctis, extrema noctis pars est: Vigilia una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigilias, ternis horis per singulas Vigilias distributis.* His præmissis, nihil est momenti congruam habere cuilibet Nocturno horam, cum separata erat Nocturnorum recitatio. Ad primum conveniebant Clerici post tertiam horam noctis, secunda nimirum Vigilia adveniente. Alterum nocturnum decantabatur sub tertiæ Vigiliæ initio, quod ab hora sexta, ideoque circa mediam noctem contingebat; & tribus exactis horis absolvebatur tertium Nocturnum, cum jam quarta, & ultima noctis Vigilia properabat; nec distributa hæc Vigiliarum intervalla, sacra destituebantur memoria: ita enim orantes fideles obsequebantur frequenter factæ a Christo Domino admonitioni, ut vigilaremus expectando ultimum illius adventum aliquo modo secunda, & tertia noctis Vigi-

lia predictum apud Luc. 12., & quarta Vigilia apud Mat-thæum c. 14. præfiguratum.

Ad antiquam Laudum horam me confero, queis distinta a nocturnis tempora contigisse necesse est, cum totius antiquitatis consensus clamet, & testetur, has olim sejunctim a Nocturnis solitas peragi ubique terrarum fidelium, non secus ac ætate nostra Nativitatis Dominicæ nocte videmus observatum, idque Clericis juxta ut Monachis fuerat commune: *Olim*, ait Stephanus Durandus l. 3. c. 3. n. 1. De ritibus Eccl. Cathol, *tres nocturni dicebantur in tribus vigiliis noctis, dividendo eam in quatuor stationes, & Vigilias more militari. Inde Laudes in quarta Vigilia recitabantur*, & Guillielmus Durandus l. 5. c 4. cum exposuisset veterem consuetudinem, ut tertium Nocturnum, prius quam illucesceret, absolveretur: *apparente vero aurora*, subdit, *pulsatis campanis, cantabant Te Deum laudamus, & matutinas Laudes*. Idem de Monachis confirmat in sua Reg. Columbanus. Romana forte ab hoc more excipienda Ecclesia, cui usitatum fuisse Laudes eodem canendi cursu nocturnis adjungere, unicamque ex duabus officii partibus conflare, argumento nobis est Clem. Un. ad finem *de Reliquiis, & Ven. S. S.* Quæ fuerint solemnia laudes decantandi tempora in veteri Ecclesia, nobis indicat Basilius l. c. de Reg. fusiùs disp. *Antevertendum diluculo est, & ad orationem surgendum, cavendumque, ne dies nos in lectulo dormientes opprimat*. Et ante Basilium Cyp de Orat. Dom. *Mane orandum est, ut Resurrectio Domini matutina oratione celebretur*. Porro Cypriano matutina oratio dicuntur Laudes, non quòd pars essent ejus horæ, cui modo Matutini nomen, sed quòd mane absolverentur, eo scilicet tempore, quo sol per aliquot gradus infra Orizontem ante ortum existens, lumen suum cœpit diffundere, & lux in superiori hemisphærio haberi: ideo etiam apud Cassianum per matutinam canonicam functionem designabant majores Orientalium partium Monachi hanc horam, & propriè hanc unam Matutini voce indicari notat Card. Bona, ac suffragatur idem nominis Ethymon, a *Matuta* proficiscens. Congruunt etiam vetustissimorum auctorum Hymni, elucubrati eo propemodum tempore, cum vigebat distintæ recitationis consuetudo, &

ab

ab Ecclesia in ultima Breviarii editione assumpti. *Præco diei jam sonat, jubarque solis jam evocat*, ita in Dominico Ambrosii Hymno: *Lux intrat, albescit polus. Lux ecce surgit aurea*; ita in duobus Prudentii feriæ quartæ, & quintæ: *Ales diei nuncius, lucem propinquam præcinit*; ita in Hymno feriæ tertiæ ejusdem Prudentii.

Laudibus proximè accedebat hora orationis Prima, aliquo inter utramque interjecto temporis intervallo, sed ita brevi, ut antiqui Scriptores aliquando horam Laudum cum hora Prima confundentes, sub matutina oratione ambas complectantur. Memoria recolendum est, quod supra de origine hujus horæ statuimus, & innotescet ad ortum solis jam ab ipsius initio usitatam fuisse ipsius decantandæ consuetudinem. Accedit plurium, ne dicam omnium Scriptorum, nec non Ecclesiæ consensus in apposito Hymno *Jam lucis orto Sydere*, per quem non secus ac reliquos diurni pensi Hymnos indigitari antiquum, & congruenter præsens tempus psallendi quamcumque officii horam nemo est, qui dissentiat.

Quæ afferuntur pro oratione hoc tempore fundenda congruentiæ, rem quidem non dedecent, sed nullam novæ institutioni ansam dedisse certum esse debet: illud ad summum concedi potest effecisse, ut nimirum Ecclesia non reprobaret; sed faciliùs tota in excogitatam disciplinam paulatim, uti diximus, concederet.

Tertiæ, Sextæ, Nonæ nomen accitum ab orandi tempore facile aperit, quæ fuerit antiquitùs consentanea illarum persolvendi hora. Tertia ergo decantabatur tribus postquam sol sopra horizontem emerserat horis: ad Sextam circa meridiem conveniebant majores nostri, sex nimirum a lucescente die horarum intervallis, cui, exacto trium horarum spatio, succedebat orandi hora Nona tempore, quo ad occasum jam sol properat. Colligimus id tum ex communi Doctorum sensu, tum ex vetustissimis Sextæ, ac Nonæ hymnis, in quorum primo invocatur *Deus ignibus meridiem illuminans*; in altero deposcimus a Deo, ut *lumen Vesperi largiatur &c.* Quæ huc usque de nocte in quatuor Vigilias distributa, atque die novis in ternas horas orationum conventi-

bus

bus illustrato, disseruimus, non bene aliquorum animo insidebunt, hærentium quomodo hoc precandi tempus die, noctuque semper sibi constans esse potuerit, nullum facessente negotium diei, noctisque inæqualitate, quibus, dempto Æquinoctio, modò major, modò minor, quam duodecim horarum cursus contigit, & proinde neque semper meridies sex horas ab ortu solis distare, neque nox complecti potest duodecim horas, queis constituantur quatuor Vigiliæ, ternis singulæ horis constantes. Paucorum erit, credo, hæc hæsitatio; isti tamen ex notissimo apud veteres more dies, noctesque dimetiendi habeant, unde tenebras disiiciant. Longo annorum cursu antiquitas inæqualibus vicibus, queis sol mundo illucescit, occurrebat inæqualibus horis, diem nimirum secando qualibet anni ætate in duodecim partes, ut & in totidem noctem, quæ cum brevissima erat, ut æstivo tempore, duodecim ejus horas brevissimas esse contingebat, admodum vero longiores per hyemem, cum & longissima nox est: eadem inæqualitate diurnæ horæ alternabantur, pro ut dies naturalis alterna solis luce erat protractus: *Horæ inæquales*, ait Beveregius Instit. Chronol. c. 4. n. 6. *vocantur eò, quod unà cum diebus naturalibus quotidiè crescunt, vel decrescunt, atque ideo semper sibimet sunt inæquales, nam horæ diurnæ majores sunt in æstate, in hyeme minores; nocturnæ è contra in hyeme majores, & minores in æstate*. Cairicas vocabant Græci has horas inæquales, earumque usus invaluit non in Græciam modò, & Italiam, sed in Ægyptum, Asiam, & totum Orientem, atque primùm in Judæam. Quare non infrequens earum mentio in sacris litteris, diei partes per Primam, Sextam ac Duodecimam connotantibus. Peculiaris adhuc Astrologis, aliisque de Cœlorum ratione disceptantibus est hæc inæqualium, quas etiam temporales dicunt, horarum cognitio. Has Zodiaci signa dividunt; cumque in singulis arcubus tam diurnis, quam nocturnis sex signa ubique periorantur, ajunt inæqualem horam esse spatium temporis, quo peroritur dimidium signi in Zodiaco.

Hinc patet ergo unde effluxerit, nunquam orandi spatia apud veteres vel hyeme, vel æstate immutari, sed semper ea-

eadem fuisse tempore perinde, ac voce. Alia ab hac nihil ferè dissimilis extabat apud Hebræos consuetudo distribuendi inæqualibus horis dierum, ac noctium inæqualitatem, de qua legendus est Baronius ad annum Christi 34. n. 163.

At vero, ut obiter dicam, alia inita dimetiendi dies ratione, plures divinarum horarum ab usitato antiquitùs orandi tempore, non a præsenti antiquum nomen retinent, nam modo, meridie longe elapso, Sexta nobis aliquando recitaretur, si, ut nomen sonat, sex nostratium horarum expectandum esset a solis ortu intervallum, & Nona ultra vesperarum horam admodum quandoque differretur, observato veteri novem horarum spatio post diei adventum.

Ex eodem inæqualium horarum usu facile est etiam colligere, quare orationem Vesperarum duodecimam appellet can. 19. Concilii Turonensis, quòd nempe, sole infra horizontem vergente, seu ultima diei hora decantarentur, quam nulla anni parte juxta præfatam dierum noctiumque distributionem aliam a duodecima esse contingebat, unde Basilius l. de Virgin. *Si ingredieris in templum duodecima hora &c.* A Concilio Toletano I. c. 9. Emeritensi c. 2. dicuntur etiam Lucernarium ipse Vesperarum preces, nomine desumpto a Lucernis accendi solitis, dum earum cursus persolvebatur. *Lucernarium verò nisi in Ecclesia non legatur* [intellige solemniter], *aut si legatur in villa, præsente Episcopo, vel Præsbytero, vel Diacono legatur.* Hæc Toletanum: Chrysostomus quoque hanc horam lucernariam dixit Hom. 59. ad populum Antiochenum de laudibus Monachorum, ubi ejus celebrandæ tempora insuper insinuat: *Ad Solis occasum*, inquit, *quod etiam Lucernarium appellamus, orandum, scilicet quia tum ob diei transitum Deo gratias agimus.* Idem Basil. qui duodecimam appellaverat hanc horam l de Virgin. Lucernariam nuncupat ad Amphil. c. 29. *At quinam fuerit Pater illorum verborum lucernariæ gratiarum actionis dicere non possumus.* Lucernas verò in Vesperarum cantu accendi solitas, unde diximus Lucernarium hanc officii partem nuncupatam, testatur Hieronymus ad Lætam de Inst. Filiæ: *Assuescat accensa lucerna reddere sacrificium Vespertinum*, & Breviarium Mozarabicum memorat apertè lumen ad vesperas quotidie accensum. *Dies sive*

sit

sit festivalis, sive privata, semper horæ incipiunt a vespertinis, & principium fit per invocationem J.C. oratione Dominica, submissa voce dicendo Kirie Eleison .... Et alia voce in nomine Domini J.C. lumen cum pace, hoc est lumen oblatum; respondetur a circumstantibus, Deo gratias. Porro nunc temporis omissa Lucernarii, ac Duodecimæ appellatione, exprimuntur hujusmodi Ecclesiasticæ preces Vesperarum voce, per quam antiquum earum decantandi tempus aptiùs indicatur. Quandoquidem constans doctiorum sensus, & ex Scriptura etiam manifestum est per Vesperas denotari tempus illud, quod ab integro lucis recessu parvum distat, derivante *Vespera*, latiori tamen significatione a Vespera stella, quæ prima solis occasum consequitur, quæque cœlum jam jam erat illustratura, cum ad ultimam diei orationem conveniebant fideles. Adde Ecclesiæ authoritatem in Hymno Sabbati: *Jam sol recedit igneus*, & commune Scriptorum suffragium, quibus refragari impudentiæ esset, & temeritatis.

De Completorio ita dicto, quòd divino officio complementum imponat, agunt antiqui Scriptores apud Bellarm. l. 1. de bonis oper. c. 11. §. *Porro tempus canonicum*, affirmantes ad noctis principium spectasse antiquitùs ejus persolvendi horam, & evincunt supra data Basilii verba Interrog. 37. Reg. fusiùs disput. *Completo vero jam die, pro iis omnibus, quæ nobis data fuerunt, gratulatio succedet.* Hæc pro singulis officii partibus servata primitus fuerunt orandi tempora, quæ ab aliquot sæculis admodum in desuetudinem abierunt, anticipato pro aliquibus, pro aliis postposito, pro aliis tandem olim distinctis ad unum redacto prisco Ecclesiasticorum conventuum tempore. Tanta autem juris morisque antiqui remissio partim exorta est cum Ecclesiæ penè omnes ad Romanum ritum se conformarunt, partim ab Ecclesiæ indulgentia promanavit, quæ, ut pia mater noluit filios adigere ad illud jugum, quod, lapsis in deteriora moribus, facilè multi a propriis cervicibus excussissent. Quamobrem etiam jejuniorum pristina observantia, pœnitentiarum publica severitas, & alia primævi rigoris statuta, connivente Ecclesia, ferè omnino aboleverunt.

C A-

CAPUT XII.

Longiori intervallo protrahebatur apud antiquos Officiorum cantus. Recensetur Psalmorum numerus a Conciliis, a Monachorum regulis, aliisque Ecclesiarum Statutis Matutino, Laudibus, Horisque cæteris assignatus, nec non aliquid innuitur de Lectionum longitudine. De Officio B. V. & Defunctorum. De Psalmis Pœnitentialibus, & Gradualibus. De obligatione percurrendi Litanias die D. Marci, & Rogationum: ubi aliquid de harum antiquitate obiter differitur.

EXposituro aliquid de prisca in divinis officiis longitudine, nullum mihi statuam ordinem in re varia pro varietate hominum, locorum, temporum, ipsarumque anni tempestatum: plura dumtaxat exhibebo, ex quibus pateat longiori precum numero, temporisque intervallo indulsisse priscos fideles, quam nobis impositum sit vacare. Per majorum noctium spatia in Psalmorum cantu, ac aliquando usque ad prima diei advenientis signa, in Epistola, qua de vellicato a se antiquæ Psalmodiæ instituto refutavit assertores, Basilius testatur consuevisse per noctem detineri fideles, quos totius Ægypti, Lybiæ, Thebaidis, Palæstinæ, Arabiæ, atque Syriæ regiones incolas habebant: *Psalmodiæ varietate precibusque insertis, noctem superant: illucescente verò die, omnes pariter psalmum confessionis offerunt Deo*. Greg. Nissænus in D. Macrinæ, quam litteris consignavit, vita tradit integras aliquando noctes exactas a fidelibus IV. Sæculi inter Psalmorum cursum. Decreverunt Acta Concilii II. in Turonibus anno 567. vel ut aliis placet 570. celebrati, ut nocturnæ mensis Septembris preces ex Psalmis quatuordecim, Antiphonis septem constarent. Pro mense Octobris decernuntur ab eodem Concilio Psalmi quatuor supra viginti, adjectis Antiphonis octo: pro mense autem Novembris Psalmi septem & viginti, Antiphonæ autem novem: at vero reliquis usque ad Pascha mensibus jubet, ut Psalmi triginta, & Antiphonæ decem in eodem nocturno cur-

 su

ſu recitentur: *Decembri decem Antiphonæ explicentur, ſingula ternis pſalmis*. Injungunt præterea Turonenſes P. P. ne alia per annum officia nocturna pauciores, quam duodecim Pſalmos complectantur; quòd tantus Pſalmorum numerus jam cœlitus fuerat deſtinatus, & a Patribus præſcriptus: *Supereſt, ut duodecim pſalmi expediantur ad Matutinum, quia Patrum ſtatuta præceperunt*, quod liquet ex Caſſiano l. 2. de Noct. Orat. c. 11. & 12. ubi *duodenarium pſalmorum numerum* in Nocturnis officiis *canonicum* appellat, utque uſitatum priſcis Ægypti, Thebaïdiſque Monachis proponit, & S. Fructuoſus Reg. c. 3. *ante mediam ſurgentes noctem*, ita Monachis legem dicit, *duodenos per choros pſalmos recitent ſecundum conſuetudinem*. In Eccleſia Pariſienſi eò pſalmorum numerus per noctem auctus perhibetur a Fortunato l. 2. Carm. ut ad auroram uſque a media nocte protraheretur

Pervigiles noctes ad prima crepuſcula jungunt.
Conſtruit Angelicos turba verenda choros.

De Nocturnis Dominicis feſtis præcedentibus agens c. 7. Reg. Columbanus, nec non ejuſdem diei: *Ad reverendiſſimas*, ait, *Sabbati, ac Dominicæ noctes ſeptuaginta quinque Pſalmi cum Antiphonis viginti quinque decantentur*. Antiquus Ordo Cameracenſis, & Artebacenſis Eccleſiæ in Appendice ad Codicem canonum Eccleſiæ Romanæ vulgatus, legimus præſcriptum: *Dominica ante mediam noctem ad nocturnale officium ſurgendum eſſe*, & ad auroram uſque perſeverandum, qua properante, finem Lectionibus imponendum; dilucidè hoc innuunt adjecta verba: *Homilia ipſius Evangelii a Diacono, vel a Presbytero, aut ab Epiſcopo tota legatur, niſi forte aurora ſuperveniens hoc diſtulerit*. Solemne fuit Monachis propemodum cunctis vigilare inter Pſalmos tocta nocte, quæ exoptatum Natalis Dominici feſtum antecedebat: *Natale Domini, & Epiphania ab hora tertia noctis, uſque ad lucem vigilandum eſt*; & Gallicanam Eccleſiam tota hujuſmodi ſacra nocte tranſegiſſe inſomnem memorat Cæſarius; immo duplex noctis officium hac ſolemnitate olim a Romana Eccleſia celebratum, habemus ex vita Nicolai I. & ex Amalario l. de Ord. Antiph. c. 15. quorum alterum fertur in Eccleſia S. Mariæ ad Præſepe, alterum in Eccleſia S. Petri decantatum. Quid-

quod

quod peculiare id fuerit omnibus festis,quæ duplici ritu quondam recolebant majores nostri? Audiatur Joan. Fronto in prænotatis ad Calend. §. 11. *Cum unica Missa, atque adeo unicum officium notatur, festum dicebatur simplex. Sed cum Duplex officium, & duplex Missa, dicebatur festum duplex.* Et paucis interjectis,. explicat veteremin Duplicibus duplicis officii percurrendi morem: *Fiebat officium diei, seu feria esset, seu festum Sancti alicujus Martyris: deinde fiebat officium Confessoris, & sic fiebat officium duplex.* Observatione ad rem hanc dignum est, quod eruditissimus vir Joseph Thomasius observat circa priscorum Antiphonas decantandi ad officium usum in Præf. ad Rom. Antiph. nimirum olim integras ante psalmum decantatas; aliquando etiam bis ante suos psalmos, nonnumquam verò ante singulos versiculos fuisse repetitas, idque, ut alii pariter tradunt, non modò in festis diebus, verum etiam in quotidiano cursu, & quemadmodum ad officia nocturna, sic ad horas pariter matutinas, atque diurnas. Ad hæc prolixus Lectionum cursus, quas, ut obiter dicam, non a Gregorio P.M. aut ab Honorio ejusdem fastigii honore claro, sed ab ipsis Ecclesiæ exordiis habemus ad nos usque transmissas, & si Orientalibus parvum frequentatas. Porrò Aurelianus, tria, vel quatuor folia singulas Lectiones complecti mandat in Ordine Psalmodiæ: *Unus frater legat paginas aut tres, aut quatuor, quomodo mensura fuerit libri, si minutè scriptus, aut majori forma, ternas paginas: si minor, quatuor*, & Udalricus l. 1. Consuetudinum Cluniacensium c. 1. affirmat priscos Cluniacenses integram ad Romanos Epistolam Pauli, duarum noctium intervallo absolutam. In pervetusto Lectionario Luxoviensis Ecclesiæ duodecim Lectiones assignantur percurrendæ in Dominici Natalis officio nocturno, eumdemque numerum observatum vel Sæculo VI. apud Parisienses memoriæ commendavit Arelatensis Cæsarius, easque ejus longitudinis, ut singulis legendis quarta horæ pars esset necessariò insumenda. Longius temporis intervallum olim decantandis per Septuagesimam Lectionibus concedebatur: siquidem eo temporis a Moysis Penthateucho ad Sampsonis historiam protrahebant Lectiones Canonici Turonenses S. Martini, Silvanectensis verò Eccle-

sia a Dominica Septuagesimæ ad feriam quartam *in capite jejunii* percurrebat libros quinque Moysis, & Josue, & Judicum, & Ruth. Ex Scripturis autem dumtaxat, quamvis sæculo IV. Officii divini assumerentur Lectiones, mandante Synodo Laodicena c. 59. *Non oportere in Ecclesia libros non canonicos legi, sed solum sacra volumina novi testamenti, vel veteris:* tamen, sæculo V. ad interitum vergente, cum in Petri Cathedra Gelasius hujus nominis primus sederet, alicubi jam mos obtinuerat, ut Sanctorum Acta Lectionibus officii interserererentur: rationem etenim assignans in suo prohibitionis decreto, cur ne dum huic mori Romana assuesceret Ecclesia, declarat ideo *singulari cautela in S. R. Ecclesia non legi, quia & eorum, qui conscripsere nomina ignorantur, & minus aptè scripta esse putantur:* jam vero si R. E. peculiaris fuerat hæc cautela, si prohibet alibi apocrypha legi Sanctorum gesta S P. jam conjicit quisque memorato sæculo invaluisse aliquibus in locis hæc Acta pro Lectionibus habere, cui consuetudini tandem Ecclesia omnis Occidentalis jam Sæculo VIII. adhæserat; si aliquas Monachorum excipias Congregationes, vel ætate nostra lectiones aut ex Scripturis, aut ex Patrum Homiliis non desumptas plane ab officio amandantes. Neque verò minor servabatur longitudo in his S.S. Patrum scriptis, aut Martyrum Actis, quam in Scripturarum Lectionibus: præterquamquod enim ex prisco ritu, ubi nullus assignatus esset Lectioni terminus, ab hac non cessabat Lector, nisi ad Chori Præsidis nutum. Legimus in prisco Corbejensi Ordinario Lectiones octo de Sermone S. Leonis recitatas in secundo Divinæ Triadis festi Nocturno, & duodecim ex quodam Hieronymo perperam adjudicato sermone, lectas in Deiparæ Assumptione habemus ex Ordinario Tullensi, ne repetam, quæ modo diximus, de Parisiensis Ecclesiæ in Nativitatis Dominicæ nocte, aliisque Ecclesiarum pro aliis festis ritibus, qui in illarum Ordinariis antiquis passim occurrunt.

Hæc de Nocturnis: quod est ad diurnas preces: laudatum Concilium Turonense, nihil de Prima, ac Tertia decernit; circa horam verò Sextam hæc statuit. *Ad sextam sex Psalmi dicantur cum Alleluja*. Officium Primæ legimus apud Aurelianum Arelatensem circa medium Seculi VI. cursum Antisti-

tiſtitem deſcriptum in Ord. pſallendi : *Poſt Matutinos ad Primam Pſalmi dicantur ; Hymnus* Fulgentis author ætheris, *Lectiones duæ una de veteri, altera de novo teſtamento, & Capitellum*. Apud nonnullos, Caſſiano ex Gazæi interpretatione teſte, tot Pſalmi decantabantur ad Tertiam, Sextam, Nonam, quot horarum numero forent exæquando, tres videlicet hora Tertia, ſex hora Sexta, novem hora Nona, id enim eſt *ſecundum horarum modum Pſalmorum etiam numerum coæquare*, quæ verba ſunt Caſſiani l. 2. c. 2. de Can. Noct. ubi aliorum mores affert ſex ſingulis horis Pſalmos concinnendi: *nonnullis placuit ſenarium numerum ſingulis diei conventibus deputari*: totum illud caput eſt ad rem noſtram lectione dignum, utpote quo variæ Monachorum conſuetudines circa polixitatem officii cùm nocturni, tum diurni olim uſitatæ proponuntur. Veſperas, ne ab iterum memoratæ Synodi Turonenſis edicto divertamus, duodecim Pſalmis veteres celebrabant: id enim,ut obſervetur, mandant Patres, & ex Patrum inſtitutis, id ſe mandare ediſſerunt: ita enim c. 18. loquuntur. *Patrum ſtatuta præceperunt, ut ad Sextam ſex Pſalmi dicantur, & ad Duodecimam duodecim item Pſalmi cum Alleluia*. Hunc ex Patribus acceptum, quemadmodum Turonenſes Epiſcopi ferunt, numerum legere licet apud Caſſianum, qui ab antiquis pariter ad ſua tempora tranſmiſſum memorat c. 4. l. 2. de Can. Noct. & Pſal. modo. *Per univerſam*, inquit, *Ægyptum, & Thebaidem duodenarius Pſalmorum numerus tam in veſpertinis, quam in nocturnis ſolemnitatibus cuſtoditur : ita dumtaxat, ut poſt hunc numerum duæ Lectiones veteris ſcilicet, ac novi teſtamenti ſingulæ ſubſequantur. Qui modus antiquitùs conſtitutus, idcircò per tot Sæcula penes cuncta illarum Provinciarum monaſteria intemeratus nunc uſque perdurat*. Joannes Belethus inter Doctores ſui temporis non ignobilis ex Trithemii judicio cum c. 29. horas enumeraſſet divini officii, inter quas Completorium reponit, ſubſequenti capite tractans *de Pſalmis, qui biſce horis cantantur*, hæc habet: *Sciendum eſt ergo generaliter in Matutinis. laudibus ſex pſalmos ſemper cantari, atque in aliis horis ſimiliter*. Et quidem ante Belethi tempora Gallicanam Eccleſiam, ad quam memoratus author ſpectabat, obſervaſſe ſenarium hunc pſalmorum

rum

rum numerum ad singulas diurni Officii horas constat ex Cæsario Arelatensi in Regul. ad Virg., quæ in Codice Regularum Holstenii notis illustrato, & apud Bollandum extant ad 13. Januarii diem. Nolo hic litem instituere, an de Completorio sermo apud præfatos authores habeatur, quod non immeritò posset tueri: illud mihi satis longiorem Completorii cursum occurrere apud Columbanum jubentem, ut *ad initium noctis* duodecim Psalmi decantentur; nec non apud D. Fructuosum Regul. c. 2. hæc habentem: *Nocturno tempore prima noctis hora sex orationibus celebranda est: & deinde duodecim Psalmorum concentu cum Laude, & Benedictionibus consummanda in Ecclesia est.*

Præter Canonicum officium alia psalmorum modulatione, ac prece detinebantur olim Clerici, & Religiosis Ordinibus nomen dantes, quod integri voluminis esset materies. Quid enim memorem Catalaunensis Ecclesiæ statutum, ut *in Quadragesima post Primam incipiatur Psalterium, & inde dicantur qualibet die* 25. *Psalmi, & sic finiatur Psalterium qualibet hebdomada*? Quid Turonensis Ecclesiæ per Domini Adventum edicta lex, ut dicerentur *Post laudes Psalmus* Miserere: *Post Primam*, Inclina Domine. *Post Tertiam*, Miserere, *& Domine quod multiplicati sunt* &c. Quid passim apud omnes Germaniæ Monachos observata sæculo X. lex ex M.S. Consuet. ut hyeme *privatis diebus per tria intervalla triginta canant Psalmos, divisos per decem, sicut æstate quindecim pariter per quinque?* Quid a sanctissimo viro Petro Damiani suis Eremitis præscriptum, *ut duo persolvant in die Psalteria*; *unum pro vivis, alterum pro defunctis*, aut multiplicem illa Psalmodiam, quam tandem a suis Bernardus Abbas Tironensis removisse Sæculo XII. fertur in ipsius vita per Gaufredum conscripta, revelante Deo, se *malle illos laborando sibi victum comparare, quam tam multiplicibus Psalmodiis insistere.*

Sed propiùs ad notos mores accedamus. Post annum 1095. authoritate Concilii Claramontani, & Urbani II. in eodem Concilio sedentis, adjecta fuit obligatio officium Deiparæ recitandi iis, qui ad horas Canonicas adstringebantur: hos eidem legi subjecit Sinodus Coloniensis anno 1280. celebrata, atque eò usque communi usu propagata fuit hæc in Virginem reli-

religio, etiam cum jam evanuit finis, ob quem fuerat ab Urbano indicta, ut Canonistarum plures indeclinabile præceptum noverint, innixum decreto Concilii,& Pontificis, nec non receptissimo usu, qui longo temporis progressu vim legis obtinuerat. De antiquitate Officii Defunctorum diximus supra, hic de ejus præcepto. Sunt qui priscam obligationem hujus officii particularibus statutis acceptam ferant, alii præcepti originem tribuant receptæ consuetudini. Undecumque tandem hæc provenerit obligatio, certum nobis sit eam, & antiquissimam agnovisse Pium V. in sua Bulla, quam pro nova Breviarii editione vulgavit; & ut certam pariter agnovisse legem recitandi Psalmos Graduales, & Pœnitentiales certis diebus adjungendos Canonicarum Horarum penso.

Cæterum, ne nimia præceptorum sarcina gravarentur fideles, anno 1568. Pius V. ab omni lege exemit hujusmodi preces [dempto officio B. V. ubi specialis vigebat consuetudo] & declaravit ex novo Breviario recitantes, nullam incurrere labem omittendo officium Virginis & Defunctorum, Graduales, & Pœnitentiales Psalmos. Ad alliciendos verò animos indulgentiarum aperuit thesauros iis, qui veteri, vel novo adhærentes instituto laudata Officia, & Psalmos exsolvissent. In Controversiam tamen vocant Theologi, num exemptio a Defunctorum officio declarata per Pontificem Maximum ita quamcumque sustulerit obligationem, ut neque die Defunctorum superfuerit, pro eo recitando lex. P. Vasquez in Opusc. de Benef. c. 4. §. 1. Homobonus, & alii opinantur præceptum omne etiam pro hac die ademptum fuisse, & nullo pacto esse officii ejus diei partem tuentur; nec referre a Rubrica præscribi, quippe quæ directiva est, & nullam imponit obligationem. Rationabiliùs tamen P. Suarez, Sanchez, & Doctores penè omnes in contrarium abeuntes sententiam docent urgere pro hoc Officio legem, quòd illud vera sit pars horarum illius diei, & quidem præcipua, si perpendatur solemnitas, & vox, qua ab Ecclesia in Rubricis sub Commemoratione Defunctornm dies illa inscribitur.

Eadem ratione ducti censent laudati authores legem esse Litanias recitandi diebus D. Marci, ac Rogationum iis, qui a publica absfuerunt recitatione, quamvis dissentiant iidem, qui

qui pro officio Defunctorum nullum agnoscunt præceptum: Porro quoniam in Rogationum dies incidit sermo, non alienum erit aliquid de iis edicere. Nihil ego hic adferam præter dies D. Marci & ante Dominicum ascensum, veterem extitisse consuetudinem Litanias, ac jejunia celebrandi per triduum a Calendis Januariis, ne fidelis populus communicaret dissolutionibus, quibus gentiles in honorem Jani per eos dies vacabant. Legendus est can. 17. Concilii Turonici anno 570. congregati, regnantibus in Gallia Clotarii liberis, in Petri verò sede Joanne III. ubi hoc tempore antiquior longè declaratur hic mos, cum ad veterum Petrum statuta referatur: *Patres nostri statuerunt in Calendis Januarii fieri Litanias*. Nihil pariter dicam de iisdem Litaniis cum triduana a carnibus, & vino abstinentia, quas haberi quot annis ad Calendas Novembris indixerat Gerundense in Catalonia anno 517. habitum Concilium: sed ea solum, quæ ad Rogationum initia spectant, prosequar. Sidonius Apollinaris l. 1. Ep. 7. ad *Mamertum Viennensem Episcopum* hunc ipsum deprædicat authorem Rogationum circa annum 474. quarum præsidio interminatum a cœlestibus portentis, & barbarorum irruptionibus exitium avertit civibus suis S. Antistes. A Mamerto decretas supplicationes renovavit cum jejunii lege Concilium Aurelianense I. anno 511. c. 19. *Rogationes, sive Litanias ante Ascensum Domini placuit celebrari, ita ut præmissum triduanum jejunium in Ascensionis Domini solemnitate solvatur*, imo Viennensi ab Ecclesia per totum orbem permanavit pius hujus observantiæ mos, ut ex Romano Martyrologio ad diem 11. Maii liquet. *Mamerti Viennensis Episcopi, qui ob imminentem cladem solemnem ante Ascensionem Domini triduanas Litanias in ea urbe instituit, quem ritum postea Universalis Ecclesia recipiens, comprobavit*. Gregorius autem re, & cognomento Magnus, imo Maximus, grassante Romæ peste, aliquot post annis Litanias, quas Majores dicimus, publicè decantandas decrevit, ut communis mali salutem a cœlo exoraret, teste eodem Martyrologio ad septimum Calendas Majas. *Ipso die etiam Romæ Litaniæ majores ad S Petrum celebrantur ex institutione S. Gregorii Papæ*. Jacobus de Vitriaco in Serm. fer. 2. Rogat. ex Liberio Pontifice; alii ex Aug.

serm.

Serm. de temp. 173. altiora vindicant Rogationibus initia, sed nobis certiora, & communi calculo recepta paucis indicasse sufficiat.

CAPUT XIII.

Clericos omnes sacris ordinibus initiatos privatæ recitationis legi esse obnoxies evincunt Conciliorum, ac Pontificum decreta, nec non communis Doctorum sensus. Eadem privati oneris lex afficit utriusque sexus Religionem ad Chorum deputatam profitentes. Pluribus cum antiquis, tum recentioribus monumentis stabilitur privata hujusmodi circa Religiosos obligatio: Non approbatur Vincentii Baronii assertum contra Doctores eximentes a privata recitatione Moniales. Olim & Laici, & minores Clerici eadem lege tenebantur. Quædam de Beneficiariis etiam nondum ad sacros Ordines assumptis circa hanc obligationem afferuntur.

A publica ad privatam officii recitationem gradum facimus, quam impositam fuisse cuicumque, ecclesiasticis conventibus antiquitùs adesse impedito, ita notum est, ut soli tenebras videretur infundere, quisquis hoc in dubium vertere auderet. Quare veritatem istam libenter irrefragrabilibus authoritatibus fulcire dimitterem, præcipuè quoad Clericos, & Monachos, nisi eò usque privatorum quorumdam hominum socordia progressa esset, ut effutire, privatimque virulentam doctrinam tradere non erubesceret sacris Clericis privatam officii recitationem nullius ad salutem necessitatis esse; alii verò, nec infimæ inter Neotericos Doctores notæ, per publica scripta docerent hoconus non contrahi per solam in Religione Choro addictam professionem. Utrosque & antiqua, & præsenti Ecclesiæ Disciplina obligari ad privatam officii recitationem primùm ostendere pro viribus satagam; deinde veterem Laicorum, ac minorum Clericorum disciplinam pro eadem lege hoc in capite exhibebo. Ac, si certam disciplinæ alicujus veritatem a Conciliorum, & Pontificum decretis, Doctorumque sensu depromere vera ratio est, aliunde quam ex his fontibus pro adstruenda proposita de majoribus

Clericis necessitate argumenta non hauriam. Ex Conciliis primùm occurrit Toletanum IV. can. 17. *Si quis Sacerdotum, vel subjacentium Clericorum, aut in publico, aut in privato officio quotidie Dominicam orationem præterierit, ordinis sui officio mulctetur*. Ista Synodica sanctione manifestè vides supponi legem privatæ recitationis non in Sacerdotibus modò, sed & in subjacentibus Clericis, quos inter demus non comprehendi minores, certè sacro ordine insigniti comprehenduntur. Concilium Lateranense IV. inter Generalia Decimum secundum, occurrens irreligiosæ Clericorum administrationi, sub virtute obedientiæ præscribit modum, quo imposterum functiones peragant Chori ministri, atque hæc de officio præsertim c. 17. *Virtute obedientiæ præcipientes, ut officium diurnum pariter, ac nocturnum, quantum eis dederit Deus studiosè celebrent pariter, ac devotè*. Ubi, & si de publica tantùm recitatione legem ferre videantur Lateranenses Patres, tamen sub eadem lege privatam simul afficere, communis est interpretatio. Basiliense, & hoc Generale, atque a Nicolao V. approbatum, nec ab Eugenio IV. reprobatum in iis, quæ ad disciplinam spectant, hoc edictum vulgavit can. 5. ses. 21. *Quoscumque Beneficiatos, seu in sacris constitutos, cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive soli, sive associati diurnum, nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant*. Verum quidem est statutam a Basileensi congressu in hac sessione disciplinam, non fuisse omnino probatam Eugenio, qui permotus Legationibus Sigismundi Romanorum Regis, Caroli Franci, & Philippi Burgundi reprobatæ Synodo rursus adhæserat, triennio nimirum post tentatam dissolutionem, ac Sess. XIV. jam celebrata, ea conditione, ut quæ de Concilii, & Pontificis potestate fuerant decreta, abolerentur, & eidem Concilio adhæsit, donec illud Ferrariam transtulit, revocato Pontificio Legato Juliano Cardinali, quod certè post sess. 21. contingit; verum, inquam, est eam disciplinam non fuisse Eugenio omnino probatam, sed Acta de Annatis in hac sessione displicebant Eugenio, non quæ de Ordinibus, de modestia, precibusque Clericorum erant constituta. Ex quo colligere est illud decretum a legitimo Concilio promanasse, & subinde totam Ecclesiam

in

in necessitatem privatæ horarum recitationis, quoad sacros Clericos concessisse. A Concilio Nemaucensi in Provincia Narbonensi, quæ est Galliæ regio adeo huic penso adstringuntur majores Clerici, ut neque ab eodem immunes esse eosdem, cum forte excommunicationis pœna fuerint irretiti, decernatur: *Debent nihilominus extra Ecclesiam dicere officium sub silentio Clerici excommunicati majori excommunicatione, si fuerint in sacris ordinibus constituti*. Ex Synodi Coloniensis a Saffrido Archiepiscopo congregatæ capitibus, quæ extant Tom. XI. Conciliorum par. I. liquet per hanc Synodum recusam pro sacris Clericis obligationem divinarum precum recitandi: *Nullas horas Canonicas, & horas de Domina nostra ullo unquam die distinctè, & disertè dicere prætermittant præsertim, qui est in sacris ordinibus, vel Beneficiis constitutus*. Ex ipso Tom. pariter XI. Conciliorum p. 2. aliud in re nostra eruitur decretum Concilii Marciatensis habiti in Provincia Auxiensi sita intra Galliæ fines per Gullielmum de Flavacourt Auxitanum Archiepiscopum: can. enim 19. hæc habet: *Statuimus, quod omnes Clerici in sacris ordinibus constituti ad omnes septem horas Canonicas omni die dicendas sint ex debito obligati, nisi eos infirmitatis gravitas excusarit*. Dertusanum anno 1429. in Catalonia ad urbem vulgo *Tortosa* coactum, Præside Petro de Fuxo Cardinali, & Martini V. Pontificis Maximi Legato, præcepit can. 4 ut Clerici Beneficiati, vel in sacris ordinibus constituti propria haberent Breviaria; utque nemo deinde sacros inter Clericos coaptaretur, qui proprio careret Breviario, ne qua prætexi posset ab aliquo excusatio non exsolvendi canonicæ recitationis legem. Accipe canonis verba: *Ne divina servitutis census, quem de fructu labiorum suorum offerre tenetur quilibet Clericus, Ecclesiasticum Beneficium possidens, vel in sacris ordinibus constitutus, dum per occupationes alias conventui Ecclesiæ interesse non valet, ex defectu Breviarii omittatur; providè duximus statuendum, ut per locorum Ordinarios ad habendum propria Breviaria cogantur, nullusque de cætero in Subdiaconum ordinetur, qui Breviarium non habeat*. Aquilejense anni 1596. a Francisco Barbaro celebratum præter pœnam contra sacros Clericos officium negligentes irrogatam, atque ab Episcopis

de iisdem transgressoribus necessariò sumendam, declaravit can. 11. sub gravi culpa ad hoc onus constringi, & si nullum obtineant Beneficium, quicumque ad aliquem ex sacris ordinibus fuerint promoti: *Intelligant omittendo horas Canonicas se mortaliter peccare, nec prætextu Beneficii non adepti excusari posse*. Consonat decretum Concilii I. Mediolanensis, a D. Carolo Borromæo, pro exacta Tridentinæ Synodi executione indicti anno 1565. c. 10. *Præter grave peccatum, quod committitur* [a sacratis Clericis debita officii recitatione non fungentibus extra Chorum] *graviter etiam ab Episcopis in eos animadvertatur*. Acta Synodalia Ecclesiarum Carducensis, Ruthenensis, atque Tertulensis hujusmodi legis ad rem nostram exhibent decretum: *Clerici, qui sunt in sacris Ordinibus constituti, debent quotidie dicere per septem horas divinum officium Nocturnum pariter, & Diurnum, scilicet Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium, nisi necessitas excusaret, & si per competentes horas non fuerint dicta, postea tamen persolvantur*.

Nullus erit finis, si paginas implere voluero Conciliorum decretis, quæ vel inducunt, vel confirmant privatam hanc in sacris clericis obligationem: quare ne ex copia, ut fertur, tædium gnignatur, ad Pontificum decreta deflectat oratio. Greg. X. depositionis pœna affecit Henricum Leodiensem Episcopum propter plura delicta, quæ inter maximum est Pontifici privata horarum omissio in Epistola ad eum scripta. *Quid plura? Horas canonicas, cum eas nescias, in anima tuæ periculum prætermittens*. Innoc. III. Epist. 98. l. 14. postulatum a Capitulo multis de culpis Episcopum Neopatrensem, in jus vocat, delegans, qui inquirerent de objectis criminibus, ac præsertim *num horas Canonicas per se ipsum, ut tenetur, Deo redderet*, quod inter congesta accusationis capita Præsuli imponebatur omissum. Quid, quod inter quinquaginta quatuor articulos, quos adversus Joannem XXIII. congesserunt ipsius Inquisitores, eique Sef. XI. Constantiensis Synodi objecerunt, legimus non infimum fuisse crimen, quod *Horas canonicas dicere spreverit*. Si ergo privatam officii omissionem culpæ vertendam esse Joanni Constantienses P.P. judicarunt, ut ut ex Pontificiæ dignitatis culmi-

mine se se posset propria authoritate ab hoc penso eximere, quam inde excusationem ab hac lege privati homines prætexent? Aliud tandem accedat argumentum maximi in re morali, quam versamus, momenti ductum ab authoritate cum recentiorum, tum veterum Doctorum, ex quibus ne unus quidem dissentit circa obligationem; & quamvis quidam, non audiendi tamen, ut Angelus, & Richardus docuerint gravi piaculo dandam non esse unius vel alterius diei per annum omissionem Clericis sacro ordine decoratis; id tamen manifestè suadet etiam his Doctoribus persuasum fuisse, vera lege teneri hos Clericos ad privatam recitationem. Paucos audiamus de hoc præcepto differentes: D.Thom. quodl.6.q.5.art.2. *Clericus ex hoc ipso quod est Clericus, & præcipue in sacris ordinibus constitutus, tenetur dicere horas Canonicas.* Cajet. Verb. *Horæ Canonicæ. Ad horas Canonicas tenetur communiter quicumque est in sacro ordine constitutus, qui si omittit absque rationabili causa, peccat mortaliter.* Sylvester ad calcem Rosæ aureæ casu 9. *Tenentur autem ad septem horas canonicas clerici, qui sunt in sacris.* Fagnanus *Caput Presbyter de Celebratione Missarum* commentariis suis illustrans: *Ratione sacri ordinis Clerici tenentur ad horas dicendas.* Pro pluribus adducendis, testimonium de communi Doctorum hac in re sensu exhibeat P. Laimann l. 4. tract. 1. c. 4. n. 4. *Communis est Doctorum sententia omnes Clericos, qui in sacris sunt constituti, licet nullum Beneficium Ecclesiasticum obtineant, ad horas canonicas privatim recitandas sub culpâ mortali obligatos esse.* Tanta verò Conciliorum, Pontificum, ac Doctorum placita, atque decreta an ea non sunt, quæ non Religiosioris modò, sed vel libertini hominis vincant animum, & inconcussam sanciant privatæ recitationis, quoad sacros ministros legem? Nisi quis majorem fidem dandam putet alicui è popello inflatis buccis, erectoque supercilio authoritatem affectanti, quam totius retro antiquitatis saniori prudentium, ac Legislatorum numero, & tenebrarum magis expedire, quam veritatis auscultare magistros.

Quod autem est ad moniales, & Religiosos viros nondum sacris Ordinibus initiatos, queis libertas fit a nonnullis vacandi hoc penso extra Chorum, eorum quoque obligatio tam perspicua est, ut mirari subeat homines cæterum do-

doctiſſimos contrariam pro Religioſis adoptaſſe ſententiam. Equidem ſi legitimè introductæ conſuetudini vim legis ineſſe jura omnia clamant; vel ablegandum a Regula morum hoc principium, vel per ſolam profeſſionem in Religione choro addictam emanare privati officii neceſſitatem fatendum cenſeo; tanto ſæculorum decurſu invaluit iſtius conſuetudinis vigor, & conſuetudini acceſſit ſemper pia inducendæ obligationis intentio. Quod ut pateat, altiùs, atque ab ipſa origine repetenda res eſt. Quantum naſcentis Eccleſiæ initio, & primis ejuſdem ſæculis probaretur Patribus hoc divinæ laudis penſum tam in Laicis, quam in Clericis, ſatis ſuperque ſupra fuimus proſecuti. Hoc autem pietatis exercitio ubique terrarum fidelium ferveſcente, Monaſticum emerſit inſtitutum, hominum genus, quod non Laicis propter perfectionis inſtitutum, non Clericis propter ſingularem vivendi rationem, atque ordinum in pluribus defectum conſentiebat: ubi ergo primùm Monachi convenere, licet perſpectum haberent ſe minimè complecti Patrum verbis de horarum frequentia Laicos, & Clericos alloquentium, nec communi horum conſuetudini ſe accommodare, adeſſe neceſſitatem, utpote qui per alia perfectionem Chriſtianam ſectabantur; nihil ominus tamen ſæculari vita huic penſo antea aſſueti, & Laicos, Clericoſque non publicè, non privatim ab hoc onere ceſſare accipientes, rati ſunt Religioſæ vitæ eſſe pariter ſacrum hoc jugum, ut Chriſtianæ legis perfectius ita ſubire, ut publica, vel ex hujus defectu privata recitatio foret ex præcipuis obligationibus eorum, qui Religioſo cœtui nomen darent, unde quid tale ſpeciatim profiteri aliqui ex primis Monacis, vel quid hujuſmodi expreſſè in Regulis prodere ſupervacaneum habuerunt plures ex poſterioriorum Ordinum inſtitutoribus: & profectò niſi hæc fuerit primorum Cœnobitarum mens, niſi id omnibus Monaſticam vitam ab initio profitentibus perſuaſum fuiſſet, non video, cur antiqui ſedulam continuò dederint operam propriis in cellulis recitandi eam Canonici officii partem, qua cum aliis publicè propter domeſticas occupationes defungi non potuerant; cur multi, Fratres in ſolitudine inviſentes, evigilarent religiosè, ne in itinere a recitatione horis conſuetis abſti-

ne-

nerent; cur alii aliis distenti extra cœnobium negotiis iisdem precibus soli vacarent, & si nullo sacro Ordine fulgerent initiati, quod tamen testes locupletissimi, & jamdudum eruta antiquitatis monumenta prodiderunt. Rufinus enim in vitis Patrum l. 3. c. 5. de Monachis ad solitudinis incolas proficiscentibus, ait: *Facto Vespere, orationes, & Psalmos secundum consuetudinem compleverunt*. Regula Magistri c. 58. *Matutinos verò omni tempore in via post nocturnos explicitos, mox subsequentes conjungant. Matutina in squallidis, in importunis vel purgatis casæ, vel taberna locis .... videatur compleri*: De Hilarione Hieronymus ejusdem ævi, & professionis consors loquens, refert S. virum numquam passum, ut comites in itinere cibo reficerentur, nisi huic legi fecissent satis: *Oremus, psallamus, reddamus Domino officium, & sic ad vineam properabitis*. Mentio de hac privata recitatione habetur pariter in Actis D. Pachomii Abbatis, *cujus humilitas non patiebatur inter Discipulos quempiam esse, qui clericatus officio fungeretur*, sunt verba Rosveid. in Vita S. Pachomii. Marcianum solitudinis incolam convenerat solitarius pariter Avitus, simulque, priusquam tenui jentaculo alteri caritatis lege, alteri jure hospitii debito indulgerent, Nonam recitasse fidem facit Theodoretus Hist. l. 4 c. 3. Nec minus ex veteri Monialium Religione in privato officii cursu elucet hæc persuasio. Virginum Deo palam dedicatarum duo in Ecclesia genera olim fuisse, supra diximus: quædam enim inter monasteriorum claustra circumceptæ a personis sæcularibus sejunctæ degebant, quædam in ædibus paternis vitam traducebant publicis votis, atque ecclesiasticis cæremoniis consecratæ, perinde ac quæ ad cœnobiorum septa convolarant, ut Homil. 8. in Evang. de Amictis suis scribit Gregorius Magnus: *Uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ sunt, sub districtione regulari degentes in domo propria socialem vitam ducebant*: at utrasque canonico huic penso privatim exsolvendo vacasse sub Religione monent gravissimi Scriptores. De commorantibus in paterna domo loquatur Hieronymus ad Demetriadem scribens: *Præter Psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora Tertia, Sexta, Nona, ad Vesperum, media nocte, & mane semper est exercendum, Statue quot horis*

S.

S. Scripturam ediscere debeas. Et ad Lætam *Reddat tibi quotidie pensum de Scripturarum floribus excerptum .... Assuescat ad orationes, & Psalmos nocte consurgere, Mane Hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona hora stare in acie, quasi bellatrix Christi, accensaque lucerna reddere Sacrificium Vespertinum*. Nec non ad Eustochium. *Horam Tertiam, Sextam, Nonam, diluculum quoque, & Vesperam nemo est, qui nesciat quoque nocte bis, terque surgendum*. Tandem l. 1. adversus Pelag. *Quis ignorat psallendum esse feminis in cubiculis suis, & absque virorum frequentia, & congregatione turbarum*. Quod hic præscribit Hieronymus, præscripserat, Hieronymo in vivis adhuc degente, Toletanum I. anno 400. c. 4., ubi vetatur sacris Virginibus, Viduisque in sæculari æde commorantibus, ne, quod ex professione debebant canonicum pensum, cum confessore, vel servo peragant: *Nulla professa, vel Vidua in domo sua Antiphonas cum confessore, vel servo faciat*. Atque hæc, etiam aliis omissis, ea essent, ex quibus privatæ recitationis præceptum, pro monasticos inhabitantibus parietes inferri posset: nam si quæ extra monasterium se Deo per Religiosam professionem nuncuparant, cum Ecclesiam non adirent, hac lege premebantur, an ab eadem fuisse exemptas dicemus, quæ cœnobiis includebantur, quando, ne ad publicos orationis conventus accederent, irrepens obstitisset occupatio? Nihilo tamen secius rem propria stabiliant testimonia, ex quorum multis unum, vel alterum producam. Scriptor Vitæ D. Lutgardis l. 3. c. 103. refert Sanctimoniales, quæ in ejusdem S. Virginis monasterio convivebant, non abstinuisse a recitando privatim officium, neque cum levi aliqua afficiebantur ægritudine, subdens l. c. immissa cælitus contra has supplicia tunc cessasse, cum ægrotantium in percurrendo canonico cursu negligentia, quæ fuerat malorum causa, cessavit: *Cum se infirmæ sorores, in Valetudinario manentes, in percurrendis canonicis precibus correxissent, pestis illa sopita est*. Antiquius suppetunt testimonium Acta Divæ Euphrasiæ, quorum meminere Joannes Damascenus, Rosuveidus, & Jacobus Goar. Hæc, Regnante Theodosio, se receperat intra Thebaidis monasterium centum, & ultra Monialium pietate frequentatum, ubi sæpe cum alia moniali Julia

lia

lia privato Psalmorum penso indulsisse Euphrasiam testantur, quæ recensuimus, Acta multæ apud Recentiores authoritatis.

Quæ fuit primorum Religiosæ vitæ Patrum persuasio, ac obligationis sententia, eadem apud posteriores reperies: id enim Prælatis Ordinum, id Superioribus communitatum, id Juniorum Præfectis animo insidet. Testes hic libenter appello quotquot per terrarum orbem propagati fulgent ad Ecclesiæ splendorem Religiosi Ordines; numquid omnium mos sit grave hoc onus edicere ineluctabiliter per professionem subeundum iis, quos magistri ad Religiosam disciplinam nondum professos informant? Numquid sedulò invigilent Prælati, secumque attentè reputent, ut in gravibus aliis præceptis, de causa dispensationis, ubi propter infirmitatem, vel alia hujusmodi a privata recitatione vacandi rogatur facultas? Numquid gravis culpæ rei arcessantur a Religiosis superioribus ii, quos aliquando deprehendunt talis consuetudinis violatores, & subinde gravibus etiam pœnis eosdem subjiciant? quod & inter Monialium claustra solemne esse neminem later.

Hoc præterea colligere est pluribus ex dispensationibus; ac vivæ vocis Oraculis per Eugen. IV. Innoc. IV. Sixtum IV. Innoc. VIII. Leonem X. Clem. VII. aliosque Pontifices M.M. variis Religiosorum Ordinibus impertitis, ubi per verba qualemcumque professum includentia, aliqua fit privatæ obligationis relaxatio; imo cum Eugenii IV. & Innoc. VIII. Privilegium unis patrocinetur professione sacratis, & solum Moniales afficiat illud Clem. VII. jam sat intelligimus non nisi persuasissimum fuisse summis Pontificibus, ac Religiosis cœtibus cum solemni votorum nuncupatione conjunctam esse privatæ recitationis legem: ut quid enim ab aerea, non autem solida lege exemptionem vel postulassent Religiosi, vel erogassent Pontifices M.M.? Cæterum, quo loco sedeant quædam ex recensitis Privilegiis post revocationem anni 1622. factam a Gregorio XV. & 1651. ab Urbano VIII. viderint ii, quibus est hæc jura vindicare. Unum, ne plura extra rem congeram, indicabo opponi ab his Privilegiorum assertoribus Gregorianæ, & Urbani revocationi, videlicet abrogata a Gregorio, & Urbano ea esse, quæ mere *Vivæ*

vocis erant oracula, non autem quæ Vivæ vocis oracula per ſpecialem Pontificis Bullam confirmata, ſcriptarum conceſſionum jus traxerant, ut de aliquo ex relatis Privilegiis factum conſtat a Greg. XIII. Pio, & Paulo V.

Addo paucos etiam ex antiquis Religioſæ vitæ inſtitutoribus fuiſſe, qui privatum hoc onus in ſuis Regulis non injunxerint. In Regulis propriis, ac privatis orandi, atque vivendi, quas ut ait Roſvveid. p. 146. tradidit Monachis Pachomius, hoc edicitur c. 142. *Et ſi in navi fuerit, vel in Monaſterio, vel in agro, in itinere, aut in quolibet miniſterio orandi, & Pſallendi tempora non prætermittet*. Succinunt ſcriptæ a Baſilio Regulæ c. 107. *Si quis circa Cellariam, vel Coquinam, vel alia hujuſmodi opera occupatus eſt, & non occurrat adeſſe ordini pſallentium, in quocumque loco fuerit orationem expleat*. Nec diſſentit celeberrima Monachorum parentis regula c. 50. *Fratres, qui omnnino longe ſunt in labore, & non poſſunt occurere hora competenti ad Orationem, & Abbas hoc perpendit, quia ita eſt, agant ibidem opus Dei, ubi operantur, cum timore, & tremore divino genua flectentes. Similiter qui in itinere directi ſunt, non eos prætereant horæ conſtitutæ, ſed ubi poſſunt, agant ibi, & ſervitutis penſum non negligant reddere*. Hujuſmodi phraſi utuntur ſtatuta Hugonis V. Abbatis Cluniacenſis, dum eamdem inculcant legem recitationis iis, qui peregre a Monaſterio abeunt: *Univerſi ubicumque conſtituti, ſuæ ſervitutis penſum non negligant reddere, maximè horarum Canonicarum*. Idem præſcribunt a Cæſario Arelatenſi Epiſcopo ſcriptæ Monachis, & Caſtimonialibus Regulæ duæ; a Columbano Abbate Hiberno tradita Monaſteriis, quorum author fuerat in Italia, & Galliis ſtatuta; a Ferreolo Ucetiæ Epiſcopo exaratæ Conſtitutiones pro Ferriolacenſi cœnobio, quod in Galliis extruxerat, de quibus, ſi per otium licet, conſule V. Cl. Holſtenium Bibliothecæ Vaticanæ cuſtodem in Codice Regularum.

Monachorum veſtigia propiùs in hoc legerunt ſanctiſſimi, atque de Religioſo ordine optime meriti Patriarchæ duo Dominicus, & Franciſcus in Conſtitutionibus ſuorum cœtui præſcriptis, a quarum obſervantia ſuaviſſimum inde omnium virtutum odorem longe, lateque diffuderunt, & uſque ad conſum-

summationem sæculi diffundent non degeneres a sua professione Alumni; atque hoc de privata recitatione præscriptum eò usque Clericis omnibus, seu professis peculiare fuit, a quo habere datum est Breviaria juxta Divum Bonav. in Regul. ut neque Laicos ipsos voluerit unquam ab aliquo orationis penso immunes eadem Regula, quæ septem Canonicis horis suffecit quotidianas preces, loco earum persolvendas: *Laici vero dicant viginti quatuor Pater noster pro Matutino, pro Laudibus quinque &c.* Et a Beato Dominico, uti accepimus ab ejus vita exemplo, verbisque extra Monasterium additum fuit calcar ad executionem divini pensi, quod ut & consuetis die, noctuque horis tum compleretur, satagebat.

Neque hìc detinebo Lectores monendo, quod vel me tacente, produnt adductarum constitutionum verba, nimirum ita digestas a Legislatoribus fuisse, ut omnes indiscriminatim militiam sub earum vexillis profitentibus, complectantur, nihil distinguentes sacris fuerint, nec ne initiati ordidinibus. Id sonat in Regula Basilii, *Si quis*; id in Regula Benedicti, *Fratres*; id in Hugonis statuto, *Universi*; id tandem in Regula Francisci *Clerici* vox, quibus loquendi modis utitur decimus quintus canonum Pœnitentialium, quos ex collectione Gildæ exhibent Editores Thesauri Anecdot. t. 4. col. 8. *Si Monachus excitatus veniat post missam* [hoc est post dimissos Fratres a divino officio] *recitet, quidquid Fratres cantaverunt ex ordine:* & Benedictus XII. sæculo decimo quarto in sua constitutione sanxit, ut Monachi quicumque justis distenti negotiis, chorum non adeuntes *in loco aliquo congruo, & honesto debitis horis divinum officium, & quotidianum pensum exsolverent debitæ servitutis.*

Quare his, aliisque adducti momentis primi subselii Theologi, [ne dicam tota pene Doctorum moralium classis] a privato hoc penso non Moniales, non professos viros exemerunt, communi calculo improbantes oppositam sententiam, & censurarum notas in eam non pauci regerentes. Vincentius Baronius pluribus prosecutus assertam consuetudinem vim legis obtinere in Monialibus: sic acriter invehitur in earum Patronos. *Hæc omnia conficta dico in gratiam Monialium, quibus adulari visum est, ut tempus Choro, & officio reci-*

tando impendendum, non sit illis Religioni fallere in locutoriis: Sed quis ita temere dixerit instituta Monasteria Virginum, ut &c. Juvat tamen nullo pollice virulentæ conjecturæ subscribere, & quid alii scripserunt interpretari ideo scripsisse, quòd solidam veritatis speciem apud se tradita sententia consequeretur.

Facile erit nobis præterea cognoscere, ne ipsos quidem Laicos Ecclesiæ primordiis a diurna privatæ Psalmodiæ lege fuisse absolutos, si Patrum testimonia audire non pigebit. Tertull. ad Ux. l. 2. exagerat felicitatem ejus matrimonii, quod, utroque conjuge christianam fidem profitente, utrumque permittebat noctu detineri inter debitas Deo laudes. *Sonant inter duos Psalmi, & Hymni, & mutuò provocant, quis melius Deo suo canet. Talia Christus videns, & audiens gaudet.* Ambros. *Cum Vespera diem claudit, ipsi debemus per Psalterium laudem Deo dicere, & gloriam.* Chrys. in Act. Homil. 26. *Ecclesia Dei mediis surgit noctibus, surge & tu &c. Ad viros, & mulieres sermo mihi est, flecte genua, ingemisce, ora; sit Ecclesia domus ex viris, mulieribusque constituta. Si tibi filii sunt, excita & filios, & fiat modis omnibus domus noctu Ecclesia.* Poterat ne clariùs præcipere Fidelibus Chrysostomus, ut solemni recitationi per noctem in Ecclesiis frequentari solitæ, fieret satis per privatam domi, cum urgeret publicam adeundi impedimentum? Hieronymus ad Marcell. *Sudans messor Psalmis se avocat, & curva attendens falce vinitor aliquid Davidicum canit.* Athan. de Virgin. *Media nocte excitaberis, & Hymnis celebrabis Dominum Deum tuum.* Jam vero si hæc Laicorum erat Religio, profecto non alia fuerit eorum, qui inferiori aliquo ministerio clericalem vitam profitebantur. Quis enim credat Patres novisse orationi matutinæ, novisse vespertinæ, & nocturnæ adstrictos Laicos, nullam inde agnovisse in Ecclesiasticis ministris ejusdem obligationem? Quod si aliquod sit apud Patres de privata hac recitatione silentium, in causa est adamussim sectata primis Ecclesiæ sæculis disciplina, ut ab omnibus Clericis frequentarentur Ecclesiastici orationum publicarum conventus, a quibus, non nisi urgente infirmitate, vel negotiorum mole, se subtrahebant; neque aberant, cum peregrè ab Ecclesia propria distabant; eas enim adibant Ecclesiarum Congregationes, quibus fuerant

per

per Formatas Litteras commendati; ex quo etiam fit frequentiora ex veteribus Ecclesiæ monumentis occurrere exempla eorum, qui in itinere, quam qui in urbibus privatam officii legem explerent. Clericis tamen omnibus apertam legem etiam inculcatam pro aliis multis est c. 10. Concilii IV. Toletani anno 1637. celebrati, quo privata officii recitatio Clericis quibusque, tanquam certissimum pensum supponitur.

Ne quid ad complementum privatæ recitationis desiderari in presenti capite videatur, paucis dabo Beneficiariorum obligationem, quos etiam non sacris initiatos, certissima lege divini officii jugo subjici extra omnem dubitationis aleam constitutum est. Et si in pluribus clericis canonicæ recitationis emerserit immunitas, cum alio, quam Ecclesiasticorum proventuum titulo, ad ordines minores elevari apertum fuit ostium; hæc tamen nullo annorum spatio locum usquam obtinuit in iis, qui de Ecclesiasticis bonis erant participes: imo cum generalis omnium Ecclesiarum pro his exolevit publicæ Psalmodiæ usus, inconcussa perstititit lex privatæ, id exigente ipso naturæ dictamine, ut cuique rependatur, quod temporali emolumento justè rependendum expetivit.

Facilè foret hìc per non interruptam ætatum, locorumque seriem, in medium proferre exempla virorum Sanctissimorum, qui propter qualecumque Beneficii genus ratam habentes hujusmodi necessitatem, fideliter eidem colla subjecerunt: at cum res per se voluminis materia extet, lubenter dimisso exemplorum argumento, iis rem stabiliam fulcimentis, quæ nulla possint tergiversatione declinari. Concilium Basileense antiquissimi juris, sin naturalis, ut merito tuentur aliqui, Ecclesiastici tamen supponens in Clericis Beneficiariis legem privatæ recitationis sess. 21. c. 5. modum illud recitandi iisdem præscripsit. *Quoscumque Beneficiatos cum ad horas canonicas teneantur, admonet hæc Synodus, ut sive associati, sive soli diurnum, nocturnumque officium reverenter, verbisque distinctis peragant.* Concilium Lateranense V. & XIX. inter Generalia sess. 9. decrevit, ut præter gravis culpæ reatum, quam singulis vicibus incurrit Beneficiarius officium prætermittens, teneatur ad restitutionem fructuum provenientium ex Beneficio tanquam injustè perceptorum, quoties post sex

men-

menses ab assecuto beneficio horarum negligeret recitationem: *Quilibet habens Beneficium cum cura, vel sine cura, si intra sex ab obtento Beneficio menses non dixerit divinum officium, omni cessante impedimento legitimo, Beneficii fructus non faciat suos pro rata omissionis; & temporis, sed illos tamquam injustè acceptos vel in Fabrica Beneficii, vel in pauperum Eleemosinis erogare teneatur.* Ne occasione grassantis per Germaniam Lutheranæ hæresis pessum omnino iret hæc Constitutio, eam renovavit Cardinalis Campeggius inter triginta ea quinque Reformationis capita, quæ,annuentibus Principibus Catholicæ professioni addictis, vulgavit die 7 Julii anno 1524. Ratisbonæ; & severa lege injunxit Archidiaconis, ac Decanis Ruralibus, ut sedulam intenderent curam, ne quis Beneficiariorum a peragenda privata recitatione desciscceret; imo jussit, ut in contumaces procederent etiam mulcta privationis Beneficii, vindicans authoritatem suæ legi a lege, & consuetudine totius Ecclesiæ: *Quia*, inquit, *juxta Patrum sanctiones Beneficia propter officia dari consueverunt.* Cum verò successu temporis non modo Germanicas regiones, sed & alias fidelium Provincias occupasset abusus non restituendi ita perceptos fructus, prætexentibus quibusdam Lateranensis statuti violatoribus excusationem a contraria consuetudine, humana abrogante præcepta, quam dictitabant invaluisse contra Leonis X. in Lateran. Conc. præcepto, cui effugio suum etiam addiderant suffragium quidam Theologiæ Scriptores; ideo Pius V. per Bullam,quæ incipit *Ex proximo*, ablegans quamlibet a Lateranensi edicto exemptionem, statuit, ut lethalem culpam incurrat Beneficiarius, quoties officium primis sex mensibus prætermiserit; *nisi legitimum impedimentum ipsum* [intellige Beneficiarium] *excusaverit,grave peccatum intelligat admisisse*: statuit deinde, ut elapsis sex mensibus ab assecutione Beneficii ad restitutionem etiam bonorum adstringatur pro horarum omissione: *Statuimus*, inquit, *ut qui horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiserit omnes Beneficii fructus, qui illi, vel illis diebus responderit, si dividerentur, amittat*; sequitur tandem Pontifex enumerando variam restitutionem, quæ variis officii omissionibus justè respondeat; nam dimidium provenientis pro eo

die

die fructus, qui Matutinum, dimidium pariter, qui reliquas horas; sextam fructuum partem, qui unam ex reliquis omiserit, restituendam ibidem enuntiat.

Quam plane verum est in humano jure effugiis semper, & interpretationibus ostium patere! Per novum decretum excogitatos prætextus explosit quidem Pius, non tamen eos, qui poterant excogitari: siquidem vix lucem aspexit Piana constitutio, aliunde ad declinandam restitutionem repetitum fuit diverticulum. Pœnalem legem eam autumarunt esse, quæ hominis exigit actionem, proindeex multorum doctrina nullam ante declaratoriam Judicis sententiam patere obligationem. Eminent inter præcipua capita hujus interpretationis, infausto tamen omine traditæ Soto, & Medina, nam die septima Septembris anno 1665. Vaticano fulmine obtrita fuit ab Alex. VII. & sub Censuris vetitum palam, vel privatim docere *Restitutionem a Pio V. impositam Beneficiariis non recitantibus non deberi in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eò quòd sit pœna.*

Quod autem inter Theologos a Lateranensi edicto ad peremptorium Alexandri decretum vertit dissidium, consultò adduxi, quia ex eo mirificè grave recitationis privatæ in Beneficiariis fulcitur præceptum: etenim si illud est in re morali hominum ingenium, ut nullum sibi frenum statuant interpretandi, ac tollendi ab humano genere præcepta, ubi gravis aliqua iis affulgeat legem non agnoscendi ratio; semperque invicem diffideant in opinandi licentia, quod vel iis, qui primis labiis moralem doctrinam delibarunt, testatissimum esse debet. Nemo autem etiam laxior inventus hactenus fuerit Theologus scriptor, qui vel inficias ierit, vel in dubium vocarit præfatam Beneficiariorum obligationem, sed diffidentibus circa restitutionem aliis, conveniant omnes circa recitationis privatæ legem, inde palam fit, certissimum esse in Ecclesia hujusmodi præceptum a Conciliis, Pontificibus, ac vetustissima consuetudine pro Beneficiaris invectum.

At sine animadversione prætereunda non sunt recensita Conciliorum, & Pontificum decreta. Omnes Beneficiarii promiscuè seu tenuissimis, seu pinguibus fruantur redditibus videntur comprehendi sub hoc penso; nec profectò aliud im-

por-

portant verba Constitutionum; nec aliter senserunt de hoc præcepto antiqui Theologi, nec ex juris regula, ubi *lex non distinguit, nec nos distinguere debemus*, alia erat hujus legis interpretatio, quibus accedebat communis Beneficiariorum sensus indiscriminatim ad salutem necessariam sibi esse privatam recitationem reputantium. Adversus hanc Doctorum, & omnium persuasionis aciem classicum primus cecinit Dominicus Soto, cui rigida nimis, & aspera visa fuit hæc obligatio: Qua propter author fuit æquitati juris Ecclesiastici minus consentaneum esse tanto rigore hanc legem interpretari, Ecclesiam velle quidem obnoxios huic servituti Beneficiarios, at eos dumtaxat, qui de altari vivunt, nam juxta Apostolum 1. ad Corinth 4 *Qui altari servit, de Altari vivere debet*, cum autem de altari non vivant, quibus tenue octo aureorum, seu etiam sexdecim, ut postea teste Sanchez opusc. tom. 1. l. 2. c. 2. dub. 57. n. 5. docuit, obtigit Beneficium, neque altari servire par est. His, aliisque conatus est communi calculo receptam legem abrogare Sotus; idque adeo rationabiliter, ut qui nullum habuerat præcessorem, jam multos habeat sequaces.

Positivo, an naturali ex jure originem trahat pensum Canonicarum horarum in Beneficiariis, dubiæ quæstionis res est: alii naturæ, alii Ecclesiæ legibus illud adjudicant, magnis utrique fulti rationibus: utri probabilius, viderint alii; non enim is sum, qui vertens inter maximè litteratos dissidium pro meo modulo dirimere velim. Diremit quidem in eadem Bulla anni 1571. Pius V. aliud Doctorum litigium de Præstimoniis, statuitque ex iis veram oriri privatæ recitationis necessitatem; & Alexander hujus nominis VII. declarans personale onus esse divini officii persolvendi obligationem, finem dedit aliorum controversiæ, an aliquando per alium huic penso fieri possit satis.

C A-

CAPUT XIV.

Primis sæculis Clerici, & Religiosi a Chori frequentia impediti, vacabant privato horarum cursui eadem hora, qua Chorus publicæ indulgebat. Relaxatio hujus præcepti. Quo diei tempore nunc liceat canonicum pensum exsolvere. Num Vesperæ prandio præmittendæ sint per Quadragesimam. Bellarmini opinio, & responsio ad cap. Solent *ab adversariis objecto. De lege recitandi Matutinum ante Missam. Reiicitur Sà, & aliorum error docentium elapsis propriis singularum horarum intervallis, nullam esse legem eas intra diem percurrendi.*

Statuimus Divini officii præceptum non publicam modo, sed & privatam primis sæculis affecisse recitationem: nunc autem progrediendum est, & ostendendum antiquissimam Ecclesiæ disciplinam tulisse, ut ii, qui a publicis orandi conventibus aberant, impedimento abstenti, eadem hora persolverent singulas horarum, quæ publicæ responderet recitationi. Rem expediamus exempla, & leges promendo, quibus pateat id pro singulis horis solemne majoribus nostris fuisse. Author Constit. Apostolicarum l. 8. c. 34. cum exposuisset legem Ecclesiasticam de orationum congregationibus communiter peragendis vel in Ecclesia, vel in domo; si propter infideles non licuerit in Ecclesiam convenire Mane, Tertia, Sexta, &c. subdidit, unumquemque sibi psallere, legere, orare iisdem horis ex eadem lege teneri; si neque communem domum, neque Ecclesiam adire potuerit. Aliàs notavimus ex incerto hoc authore clarè hauriri consuetudinem disciplinæ a veteri Ecclesia, etiam si non ab Apostolis, profectam. Narrat Greg. Turon. de gloria Confess. l. 22. c. 31. Sacerdotem, qui in itinere ad hospitiolum ibi pernoctaturus diverterat de lecto media nocte surrexisse, ut sacro penso faceret satis. *Quidam Presbyter solitarius*, inquit, *iter carpens ad hospitiolum cujusdam pauperis Limanici, mansionem expetiit, qua excepta, juxta morem Sacerdotum nocte ab strato suo consurgens, orationi adstitit.* Quid autem clariùs ad consuetu-

dinem veteris Ecclesiæ pro re nostra exprimi poterat, quam verba illa *juxta morem Sacerdotum*. De Saba Monacho sanctissimo ferunt gravissimi Scriptores Surius ad diem 5. Decemb. Bollandus &c. quo tempore ab Imperatore arcessitus, in aula Regia commorabatur, virum sanctum se ab Imperatore subduxisse hora Tertia, ut ejusdem horæ canonicum pensum absolveret. *Cum jam venisset hora tertia, relicto Imperatore, Deo seorsum reddebat preces solitas, vacans sacris divini David Psalmis:* monenti autem socio inurbanum videri Imperatorem linquere, dum ejus caussæ expediendæ summa ille humanitate vacabat, ea verba dedit, quæ cœlestem virum decebant. *Non hoc alienum est, o Fili: nam & ipse facit, quod ei convenit, & nos omnino id, quod debemus*. Apud Vvillihelmum Malburiensem de gestis Reg. Angl. legimus adeo persuasum fuisse præceptum non divagandi a publicæ recitationis hora in privata, ut S. Vustano Episcopo Vorcestrensi visa non fuerit æqua statutum officii tempus prætereundi causa, propriæ innocentiæ defensio, quam apud Regem potentes obscurare nitebantur; & si aliud non superesset tempus, quo aliquod suæ causæ conquireret præsidium ad malignantium artes propellendas: *Nondum*, inquit, *diximus horam Sextam, prius faciamus Dei sevitium, & post agitabimus hominum litigium*. Multis, quæ depromi possent, finem dabit celebre illud Severini Episcopi Coloniensis factum, quod est apud Petrum Damiani, Baronium, a Lapide, & alios. E viventium numero ereptus Sanctus Episcopus se invisendum præbuit suæ Ecclesiæ Clerico, flumen trajicienti, eique aperuit se purgatoriis cruciari flammis, quòd propriis horis non exsolvisset Ecclesiasticas preces, dum in regio palatio degens, publicis negotiis operam dare adstringebatur: *Quia dum in Aula Regia constitutus, imperialibus me consiliis vehementer applicui, Canonicæ Synaxis officia per distincta horarum spatia non persolvi*.

Quod est ad leges. Præter incertam ex Clem. incertis libris desumptam, plures occurrunt, quæ cum Clericis, tum Monachis injungunt publicæ tempus sequi in privata recitatione. Apud Regin. lib. 11. de Eccl. Disc. c. 26. & seq. multas inter inquisitiones ab Episcopis ruralia Oratoria invisentibus faciendas, non ultima est investigare an Presbyter Oratorii

cum

cum Clerico de nocte surgat ad Matutinas laudes, & reliquas officii partes per diem statutis horis expleat. Regula Crodogangi Clericis præscripta, hæc habet: *Quicumque ex Clericis vel cum Episcopo, vel cum aliis in itinere proficiscuntur ordinem suum non dimittant ..... & non eos debent præterire horæ constitutæ tam de divinis officiis, quam aliunde.* Antiqua Pachomii Regula edicebat Monachis, ut, *& si in navi fuerint, vel in Monasterio, & agro, & itinere, vel in quolibet ministerio orandi, & psallendi tempora non prætermittant.* Recentior Benedicti non aliud statuit. *Similiter, qui in itinere directi sunt; non eos prætereant horæ constitutæ, sed ut possunt, agant ibi Opus Dei, & servitutis pensum non negligant reddere.* Alia prætereo satis obvia hujus præcepti statuta communi D. D. suffragio recepta, quibus exploratum est duplex pro privata horarum recitatione extitisse, & extare præceptum, alterum absolvendi totius officii pensum intra diem naturalem, alterum singulas officii partes non differendi extra constituta ab Ecclesia tempora; quamvis huic, ut quod est, non dissimulem, non levem contulerit relaxationem Ecclesiæ conniventia, & ab aliquot sæculis introducta virorum pietate illustrium consuetudo, quibus non secus ac in aliis multis pristinæ Disciplinæ capitibus factum fuit, ut in privata recitatione ab hora publicæ resilire aliquantùm liceat, etiam nulla patrocinante causa. Hinc matutinas preces, adjectis etiam contra veterem praxim Laudibus, sine ulla Religione fas est recitare, vergente ad Occasum sole diei antecedentis, quod quotis a meridie horis contingat, non una est Scriptorum sententia: Hinc excusant ab omni labe recentiores Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, duabus vel tribus horis ab ortu solis uno cursu absolventem: Hinc non multò post Meridiem tolleratur Vesperarum, & Completori conjuncta oratio. Si quis tamen vel nimia ductus Religione, vel quod præter invectam æquitatem S.S. C C. ad unguem vellet obsequi in privata recitatione, noverit habendam esse ipsi rationem temporis, quo sua in Provincia tunc publica peragitur Psalmodia, ut animadvertunt communiter D.D. non autem temporis, quo vel antiquitùs publicos haberi orationum conventus mos erat, vel aliis in regionibus usitatum modo est;

Quamvis opinione aliquorum ii peccare non dicantur, quibus antiquo ritui in privata recitatione adhærere aliquo modo placeat: quare juxta horum placitum unum ab altero Nocturno, Matutinum a Laudibus sejungere, Vesperas ad finem diei differe &c. liberum erit cuilibet ideo, quòd vel certè, vel probabiliter id ferret publica antiquæ Ecclesiæ recitatio.

Duo adhuc supersunt circa privatam recitationem. Primum an Quadragesimali tempore Vesperas Meridiei, seu prandio non præferre aliqua sit culpa; quòd ex veteri omnium regionum praxi hoc sit tempus per Quadragesimam Vespertinis precibus assignatum. Et si obtinuerit communiter ante prandium expedire in Ecclesiis Vesperarum cursum sacro Quadragesimali jejunii intervallo, ut aliquod retineretur veteris disciplinæ vestigium, qua olim Quadragesimæ jejunium, non nisi vespere, seu completo jam die solvere licitum erat, decantata jam Missa, quæ Vespertina dicebatur, & ipsa Vesperarum oratione cum communi fidelium conventu: censeo tamen nullum modo esse præceptum in privatis precibus Vesperas præmittere Meridiei; imo ferunt aliqui minime consonum Bellarmino visum hujusmodi ritum etiam pro Choro. Quare enim ajebat. V. Cl. si majores nostri statutam inverterunt jejunii horam, nos per novam licentiam Vespertini quoque officii tempus invertemus? Quod obiicitur ex c. *Solent* dist. 1. de Consec. apud Gratianum, ubi diebus jejunii quadragesimalis apertissimè injungitur cantus Vesperarum ante refectionem, adeoque & privata recitatio, quæ publicæ respondere debet, nullo negotio dissolvitur. Nam vel illud ex Concil. Cabilonensi, ut vult Gratianus, vel ut fert vir eruditissimus Lucas Dacherius tom. 7. sui Spicilegii ex Amalario fuerit desumptum, pro certo habendum est eo tempore editum fuisse, cum nondum a prisca consuetudine solvendi sub Vesperas jejunii recesserant fideles, in qua continuis duodecim sæculis perseverasse tradunt recentiores Ecclesiasticæ antiquitatis eruditi Porro si verba canonis attentè perpendantur, non legem inducunt Vesperas ante refectionem decantandi, sed pullulantem quorumdam licentiam cohibent, qui, audito Nonæ signo, ad cibum properabant

bant, ut in aliis per annum jejuniis usitatum erat, minimè expectato vespertino tempore, cum dumtaxat Quadragesimæ jejunium solvi fas erat. *Solent plures, qui se jejunare putant, mox ut signum audiunt ad Nonam manducare, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium. Concurrendum est enim ad Missas, & auditis Missarum solemniis, sive vespertinis officiis, largitis prius eleemosinis, ad cibum accedendum est*: imo ne verbum quidem de hac ante prandium vesperas percurrendi lege habet Can. *Vespertinum* enim *officium* pro Missa vespertina usurpatur, quæ per Quadragesimam, completo die, celebrabatur, & ante quam nemini licebat ex prisco more refectioni indulgere, ideoque non jubet canon Vesperam ante prandium cani, sed vetat cibum sumere ante horam vespertinam; quidquid deinde ex hoc sequeretur semper vesci solitos fideles, decantata etiam Vesperarum hora, quòd mox Missam vespertinam Vesperæ exciperent, ne a frequentata per anni decursum, & statuta hora deturbarentur, si Clerici, & populi ad cibum convolassent ante earumdem recitationem.

Alterum est: num Matutinæ preces cum Laudibus, aliisque quibusdam horis necessariò præmittendæ sint Missarum celebrationi. Rubricæ Missalis Romani solum de Matutino cum Laudibus mentionem habuere: *Saltem Matutino cum Laudibus absoluto*. Synodus Bajocensis anni 1300. sicut & Odo Parisiensis in suo Statuto Laudibus, & Matutino Primam adiici jubent: *Nullus, antequam matutinas dixerit canonicas, & Primam, præsumat aliqua necessitate celebrare missam*. Lambethanum verò Concilium in Provincia Cantuariensi anno 1330. celebratum, laudatis horis Tertiam superaddit: *Nullus sacerdos præsumat missam celebrare, antequam matutinale persolverit officium, idest Primam, ac Tertiam*.

Inter hæc varia Conciliorum, & Pontificum decreta certum est unam invaluisse Pii V. sanctionem in Rubricis editam; reliquas vel contraria abrogavit consuetudo, vel particularium regionum dumtaxat usus excepit. Quod autem est ad Pianum Statutum; si res ad antiquorum Thelogorum tribunal deferatur, gravi crimine reum pronuntiant ad altare accedentem, Matutino, & Laudibus non absolutis, quia

ve-

vetus consuetudo, rigidumque Pontificis in re gravi decretum, parere obligationem necesse est. Mitior fertur a recentioribus contra hanc omissionem sententia: incertum enim iis est antiquam consuetudinem tanto fuisse sub onere receptam; & non ut præceptum, sed ut consilium in Rubricis id a Pio imponi contendunt, ideoque & levem culpam non excedere sacris operari, hujusmodi precibus nondum recitatis. Alia sunt huic opinioni momenta, quæ habebis apud ejusdem patronos Vasquez, Svarez, Valentiam, Castropalao, Laymann, & alios. Sunt qui vel a levi noxa eximant, hostiam offerrentes ante oblatum Matutini pensum, quia, ut ait doctissimus Sylvius, Missa, & Officium mutua carent connexione, ac ordine; & si qua olim vigebat consuetudo præferendi Matutinum missæ, emanabat hæc ex indeclinabili alia lege non prætereundi in privata recitatione horam publicæ, quæ cum auroram, destinatum missarum celebrationi tempus anteverteret, necessariò & missam antecedebat Matutini recitatio. Postquam vero in desuetudinem abiit priscus ille circa horam privatæ orationis rigor, abolevit; quoad hoc, onus, Missam absolvendi, non absoluto Matutino. Postremæ huic sententiæ utroque pollice subscribere sincerissimè profiteor: per hanc enim abunde, quod majus facessit negotium, a consuetudine petitum argumentum dissolvitur, & Pii telum declinatur, asserendo non præceptivam, sed directivam esse, ut loquuntur, Rubricam, ideoque solum consilii, nullam culpæ inducentis obligationem, si contemptus absit, & scandalum, uti vel adversariorum aliqui fatentur. En Castrop. verba tom 2. tr. 7. disp. 2. pun. 4. n. 7. *Rubricæ præscriptum non semper videtur afferre peccatum, si absque contemptu fiat, quia non videtur præcipi, sed consuli, & ordinariè majoris devotionis gratia.*

Temperare non possum, quin laxiorum quorumdam Casuistarum opinionem, veriùs errorem in re, quam versamus, fugiendum moneam. Nonnulli modum obliti, mediumque, quo in regendis moribus tutissimè itur, docuerunt nullam esse obligationem recitandi Horam, quacumque ex causa apto tempore prætermissam, si ab hora, qua ex Ecclesiæ præscripto debebat absolvi, multum temporis effluxerit: *Non te-*

ne-

netur, inquit Sà verbo Horæ n. 1. *recitare*, *qui*, *urgente negotio*, *fuit impeditus* : *huic enim sufficit recitare horas temporis non impediti*. Addunt alii, elapso definito tempore, quamvis sine causa fuerit pensum ejus horæ omissum, nullum urgere illud recitandi præceptum : potissima eorum ratio hæc esse videtur; quòd non minus edixerit Ecclesia totius officii recitationem intra diem naturalem, quam singularum horarum intra præscripta ejusdem diei intervalla; cum ergo, vel negotiorum excusante mole, vel nulla causa patrocinante, qui totum omisit officium intra diem naturalem, non teneatur, die elapso, illud recitare: cur dicemus, inquiunt, teneri ejusdem officii partem percurrere, qui eam intra statuta tempora præteriit? Verum si tanta vis huic argumento inest, quantam hi Auctores opinantur, videant illi, queis gravi crimini poterint vertere integram officii unius diei omissionem? Jam nullus erit, nullumque dare poterunt, qui hoc argumento ex una parte, ex alia communi D.D. sensu armatus palam tueri non valeat fas sibi esse citra lethalem culpam integrum officii pensum negligere. Nam, inquiet, singulas horas diu post constituta ab Ecclesia tempora etiam sine causa differre, constans est Theologorum effatum levem tantumodo esse culpam: admodum autem transacto definito tempore, nulla urget recitandi lex juxta hos Doctores; unum ergo erit veniale crimen, quod ex omissione circa præscriptum tempus jam fuit contractum. Adde aliquem etiam a levi noxa immunitatem facilè fore ut prætexat, si Caramuelis in Regula D. Benedicti, nec non in Theol. Fundam. fund. 53. n. 1117., & Dianæ adoptet sententiam, nullum esse totum officium ad serotinum tempus etiam citra causam protrahere. Ecquis enim rursus impedietur, ne rem ita secum instituat: nullum est crimen, si cum Caramuele sentiam horas singulas diu a præscripto quibuslibet tempore distrahere : nullum rursus, si cum Sà, aliisque opiner circa omissionem horarum, quæ definitis ab Ecclesia horis non fuerunt recitatæ : Unde ergo culpa totum non persolvere Officium? Hoc quam abhoreat a communi timoratorum sensu, quam viam sternat ad Ecclesiasticam legem pervertendam, nemo non intelligit. Quam adhibent interpretationem

Theo-

Theologi circa duplex præceptum alterum intra diem, alterum intra debitas horas percurrendi officium, ex qua solvitur adversariorum fundamentum, prætereo, ut satis obviam in Doctorum scriptis, & firmatam communi usu, qui est optimus legum interpres.

CAPUT XV.

Quando aboleverit penès Laicos consuetudo ad publicos orationis conventus accedendi. An Laicorum Vigilias sustulerint Illiberitanum, & Antisiodorense Concilia. Quid de diurnis horis heic sentiendum? Diu post exortum Monachorum institutum divina Officia frequentasse Laicos suadent P. P. & C. C. testimonia. Sensim irrepsisse in hos conventus desuetudinem tamquam verosimiliùs asseritur, & tandem Vigilias omnino prohibitas a Concilio Burdegalensi, aliisque. Clerici minores tum primum excusserunt jugum publicæ, & privatæ recitationis, cum per Lateran. Concilium nova suscipiendi ordines sub Patrimonii titulo invecta est Disciplina.

VEterem hactenus Disciplinam circa Divini Officii legem investigare conati sumus, nunc, quæ subinde irrepserunt, mutationes, & indulgentias lustremus. Difficile videtur certum definire tempus, quo pia hæc sæcularium ad sacros conventus deferbuerit frequentia. Id contigisse videbitur alicui ævo Concilii Eliberitani prope finem tertii, seu quarto ineunte sæculo, in Hispania celebrati: pluribus enim evincit Mendoza ante decimam a Maximiano & Diocletiano Imp. excitatam Ecclesiæ persecutionem, nimirum ante annum 303. quo hæc contigit, fuisse habitum hoc Concilium. Ab hoc porro tempore aliquam habemus editam legem contra nocturnos Christianorum cœtus: *Placuit prohiberi*, ita c. 35. Concil. cit. Eliberit. *ne feminæ in Cœmeteriis pervigilent, eò quòd sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committant*. Verum hujus legis ea non fuit authoritas, ut hanc ab Ecclesia excluderet consuetudinem, nam Scriptores longè post hunc ævum celebres utriusque sexus fideles ad Nocturnos Orationis conventus urgent, & cum laude mentionem de pluribus

ribus

ribus mulieribus, huic instituto piè obsequentibus habuerunt Aug. Confess. l. 9. c. 7. *Excubabat*, inquit, *pia plebs in Ecclesia mori parata cum Episcopo suo, servo tuo, ubi mater tua, ancilla tua sollicitudinis, & Vigiliarum primas partes tenens, orationibus vivebat; tunc Hymni, & Psalmi ut canerentur &c.* Sidonius Apollinaris quinti sæculi author l. 5. Ep. 17. testatur se Lugduni festo divi Justi interfuisse, quod, conveniente magna utriusque sexus multitudine, celebravit cum Vigiliis & Processionibus, antelucano tempore in venerationem ejus Sancti peractis.

Videtur aliis Nocturnorum conventuum ad sacra officia usus prope sexti sæculi finem fœminis non modo, sed & sæcularibus viris per Concilium Antisiodorense anni 578. c. 3. & 5. sublatus. At neque ad hæc tempora rejiciendam esse nocturnarum precum abolitionem multa nos cogunt sentire. Primò, quòd laudati Concilii, cui vetitum ferunt aliqui pium morem, canones, sat ambagibus, & restrictionibus involuti, vel nullam, vel exiguam ingerere possunt fidem. Secundò, quòd Matisconense Concilium II. annos octo ab Antisiodorensi in Galliis pariter habitum, hoc est anno 585. omnibus indiscriminatim nocturnas in templo Vigilias ad orandum indicit c. 1. *Noctem quoque ipsam*, ait, *quæ nos insperatæ luci inaccessibili reddidit, spiritualibus exigamus excubiis, nec dormiamus in ea, quemadmodum dormitant, qui nomine tenus Christiani esse noscuntur; sed oremus, & vigilemus operibus sacris*. Quis autem credat Matisconenses Patres nocturnas preces suo decreto magis confirmasse, si paucis ante annis ab alio Concilio in ipsis Galliis habito penitus fuissent interdictæ? An ne Antisiodorensis Synodi decretum latuit Patres Matisconæ congregatos? An saltem hoc effugiit Annacharium Episcopum Antisiodorensem, qui Matisconensi huic II. legitur subscripsisse, & Antisiodori Synodo præfuisse? vel dicendum Annachario probatum canonem, quo lex paucis ante annis in propria Synodo promulgata evertebatur? Deinde in variis operum suorum locis, de Mirac. B. Martini, de Glor. Mart. de Glor. Confess. &c qui Antisiodorensi Concilii ævo vigebat, quique post annos quindecim rexit Turonensem Ecclesiam Gregorius, nihil frequentiùs repetit, quam sæcularium

ad nocturna officia frequentiam. De Glor. Mart. l. 1. c. 45. *Dum ibidem nocte Dominica Vigiliæ celebrantur, subito orante populo, sensit &c.* & lib. 3. c. 23. *In una Dominicarum nocte ... horis Matutinis adgregatur & populus, Vigiliisque celebratis.* Nono sæculo idem Vigiliarum communis erat mos. Ex Hispania enim in Gallias a Carolo Magno accitus Theodulphus Aurelianensis Episcopus, sicuti ex ejus libro Capit. liquet, fidelibus omnibus præcepit, ut frequentes Vigiliis interessent. *Concurrendum est sabbato die cum luminaribus cuilibet Christiano ad Ecclesiam, conveniendum ad Vigilias, sive ad matutinum officium.* De hac ipsa frequentia testantur alii aliarum regionum Scriptores, qui post Antisiodorense Concilium floruerunt, ut quæ tulimus, & sumus laturi testimonia, manifestum faciunt.

Toto ostio aberrant, qui præter nocturnum etiam diurnum divinarum precum fervorem in Laicis tunc cessasse autumant, cum in Ecclesia Monasticum surrexit institutum. Vetustissimæ enim consuetudinis initium, qua professi viri, & fœminæ modo adstringuntur, & adstringebantur olim omnes ad unum Monachi, ne iis quidem exceptis, qui pro Laicis habebantur in Monasterio; cum ad Clericalem gradum aliqui ex Monachis cœperunt promoveri, vetustissimæ, inquam, hujus consuetudinis initium primi subselii D. D. affirmant, & nos quoque statuimus promanasse ex rigorosa observantia; qua extra monasterium vacaverant officiorum exercitio, & jam monachi videbant laicos turmatim ad eorum cantum properare. Qui igitur fieri potest tanto fervore æmulandam suscepisse Monachos Laicorum pietatem, & legem si, exorientibus illis, continuò periisset in sæcularium ordine statis horis orandi consuetudo? Præterea fidem superat omnium regionum, & gentium Christianarum uno prope tempore convenisse sensus in declinando ab instituto pietatis officio, & subita consensione deposuisse jugum illud, quo maxime gloriabatur ea ætate fidelium cœtus? Quis adduci potest, ut credat hujusmodi teporem placuisse Orienti, simul placuisse Occidenti, cum & hic serius aliquantum ab Oriente propagari cœpit monasticum institutum? Quid si veritatem audirent, quæ de Germano Eudoxiæ Martiris institutore,

re, de Magisterio Frontonis, de Eugeniæ professione, de Galationis, ejusque sponsæ Epistemiæ cœnobiis, & quæ alia Callisti, Ippolyti, Cypriani, & plurium antiquitatis monumenta circumferuntur ab aliquibus, ut Monasticæ vitæ exordia vel a primo sæculo, vel ante quartum deducenda esse suadeant: non ne essent dubio tollendo omni circa veritatem, quam vindicamus? Ecquis enim animo concipere posset fideles primis duobus, vel tribus Ecclesiæ sæculis tanto pietatis æstu ad divina incumbentes, uti fidem faciunt Justinus Mart. Tertull. Cyprianus &c. a se abjecisse consuetudinem eam orandi, quam Apostolico instituto acceptam sub Religione servandam sibi proposuerant?

At ut leviora hæc dimittamus: detur, quod in confesso est apud omnes, quarto dumtaxat sæculo originem deberi Monastici instituti, & ipsius institutionem in Oriente anno 305. per Antonium, in Occidente anno 341. per Athanasium inclaruisse, quod contra majoris antiquitatis assertores actis non sinceris innixos verum semper putavi propter congesta a Capissuchio in re hac argumenta. Certè posterior Monasticæ vitæ initio fuit Basilius, Gregorius Nissenus, Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius; posterior Theodoretus, Augustinus, Gregorius Turonensis, Venantius Fortunatus, qui tamen omnes laicos ad divina officia suo ævo convenisse frequentes testantur. Pro omnibus de hac populorum frequentia audiantur Venantii Fortunati authoris sexti sæculi l. 3. Poemat. Musæ

> *Flagranti studio populum domus irrigat omnis,*
> *Certatimque monet quis prior ire valet.*
> *Pontificis monitis Clerus, plebs psallit, & infans,*
> *Sub duce Germano felix exercitus hic est.*

Posteriora quoque fuerunt Concilia Laodic. Antisiod. Turon. II., quæ dum aliquid circa cantum, tempus, & Laicorum in divinis officiis locum præscribunt, certa præbent argumenta suo tempore laicorum adhuc viguisse ad canonicam orationem conventus.

A vero igitur alienum non videtur sensim sine sensu, tepescente Christianorum pietate, in desuetudinem apud plures

abiisse sanctissimum institutum, & quidem citiùs quoad diurnos, quam nocturnos conventus: ut enim quorumdam locorum Monachis, teste Cassiano, cum manualibus laboribus toti indulgebant, mos erat nocturno tantum, & vespertino tempore ad divinam Psalmodiam convenire, reliquo diei tempore inter corporalia exercitia, & privatam orationem insumpto: sic mirum videri non debet Laicos etiam die, priusquam nocte, ab hoc exercitio se subduxisse. Forenses strepitus civem, tribunalia judicem, arborum cultus colonum, sua tandem quemque negotia, vel Reipublicæ, vel domesticis rebus opportuna ferè interdiù ab Ecclesia avocabant, & æquam permultis ansam exhibebant excusationem ab hoc onere prætexendi. Quare justæ causæ conniveret oportuit Ecclesia, & tacito consensu relaxaret legem universa fidelium consensione primis sæculis introductam. Et hæc in causa fuisse, ut abrogaretur mos iste, conjicere suadent etiam plura subsequentium Conciliorum decreta, quibus, ne Dominico saltem, festisque diebus pessum iret apud laicos Religiosa consuetudo, cautum est, forte, quòd cum per hos dies nulla essent sæculi obstacula, quæ ab Ecclesiastico conventu ulla hora possent removere; nullam pariter censuerunt Patres esse causam, cur ab antiquæ legis observatione universi fideles eximerentur. Hanc autem in divina officia soccordiam vel ab ipso sexto Eccclesiæ sæculo in divina officia descendisse indicant sæxti sæculi Concilia Agathense, & Matisconense, nec non can. 8. inter eos, qui sextæ Generali Synodo fuerunt adjecti apud Baronium ad annum Christi 58. quibus indictum est fidelibus cunctis horarum recitationi diebus festis interesse, & apud Authorem Serm. de temp. serm. 151. hæc legimus: *A Vespera diei sabbati usque ad Vesperam diei Dominicæ solo divino cultui vacemus; veniat ergo cuicumque possibile est, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem &c.* quæ certè decreta non fuissent, si primæva lex turmatim ad Ecclesiam singulis diebus concurrendi pœne omnes viguisset: ut quid enim legem evulgare pro assistentia festorum officiis, si lex fuisset fidelibus omnibus quotidianæ recitationi in Ecclesiis assistere?

Nono sæculo admodum quotidianos Ecclesiarum cœtus in Gal-

Gallia intermissos ostendunt amarulentæ VI. Parisiensis Synodi querelæ, quibus Patres in Laicorum sui ævi teporem erga divina invehunt c. 2. *Dicite mihi vos, qui tantummodo festis diebus ad Ecclesiam convenitis, cæteri non sunt festi, non sunt dies Domini?* Nemo autem dubitat hujusmodi quæstus in divinæ Psalmodiæ negligentiam dirigi, qui exploratum habeat paulo ante a Galliarum Episcopis editum Capitulare ad promovendam fidelium omnium pietatem in Deo propriis horis adorando. Jam diù obliteratum religiosum ad sacras horas conveniendi studium in Anglia, Hispania, Italia sæculo decimo primo probatissimis testimoniis evincitur. Haroldi II. Angliæ Regis deploratam cladem, totiusque Regni servitutem, & calamitatem, in quam miserrimè per Willelmum Normaniæ ducem prolapsa erat Anglia, tribuit Willelmus Malbesburiensis longæ oblivioni, cui data fuerant Ecclesiastica officia. *Optimates gulæ, & Veneri dediti, Ecclesiam more Christiano non adibant, sed in cubiculo, & inter Uxorios amplexus Matutinarum solemnia a festinante Presbytero auribus tantum libabant*. Coyacense in Hispania Concilium anni 1050. c. 6. edixerat, ut *omnes Christiani, die sabbati advesperascente, ad Ecclesiam concurrerent, & Dominica Matutina, missas, & omnes horas audirent*: quod certè, ut diximus, statutum non fuisset, si primævus ille ad quotidiana officia fervor in hominum vulgo non remisisset. Quod est ad Italiam; celeberrimum hujus gentis Scriptorem sub Alex. II. Pontificatu, Petrum Damiani, & in privatis colloquiis, & in publicis elucubrationibus elaborasse accepimus, ut pristinam restitueret septies in die orandi consuetudinem, nullumque non movisse lapidem, ut privatam saltem canonicarum horarum recitationem ad clerum juxta, ac fideles omnes spectare certum faceret, quod, quæ altas egerat radices, pene omnino extirpatam viderat consuetudinem.

Ab Oriente pariter circa hæc tempora exulasse pium morem expedit nosse ab iis, quæ Anna Comnena de Matre Alexii Comneni patris sui litteris consignavit. Plurima prosequitur in ipsius vita specimina virtutum, & inter ceteras singularem die, noctuque sacris officiis assistendi vigilantiam maximè deprædicat; nec enim tot laudum segetem, pro-

prium-

priumque Aviæ pietatis characterem fecisset Anna Comnena hujusmodi frequentiam, si adhuc veteri legi obnoxii fuissent fideles omnes; quemadmodum nulla singularis laus emanaret nostro ævo diebus festis sacro, vel statutis temporibus jejunio operam danti. Accipe Comnenæ verba ex l. 3. Alexiados p. 88. & 89. *Pleramque noctis partem divinis Hymnis juxta descriptionem Ecclesiasticam in diurna toto anno pensa dispensatis: integre reddendis, ac celebrandis insumebat*, & aliquot interjectis. *Solebat etiam*, subdit, *Avia mea non totum negotiis sæcularibus diem impendere, sed statis quoque horis sacris operam dare*.

Illud exploratum est contigisse in nocturno Officiorum cœtu, qui Sæculorum progressu remissiùs frequentari non modo cœpit, sed etiam plerumque degeneri sensu a primæ institutionis fervore, abutentibus non paucis pietatis opere ad opera impietatis. Quare ad auferendas paucorum hominum licentias, necesse fuit ut sanctissimus usus, qui jam plurimorum socordia aboleverat, ob aliorum abusus omnimode per sacras sanctiones ab Ecclesia eliminaretur, quod tandem decimo tertio sæculo, ad quod usque pium aliquod antiquitatis in re hac perstitit vestigium, factum constat per Copiniacense Concilium a Burdegalensi Archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno 1260. *Cum ex Vigiliis*, ita c. 1., *quæ in Ecclesiis fiunt, frequenter multa turpia insequantur, & frequentissimè vulnera inferantur, propter quæ eædem Ecclesiæ reconciliatione indigere noscuntur, statuimus, & præcipimus firmiter ne de cætero in prædictis Ecclesiis, vel Cæmiteriis Vigiliæ fiant*. Simile decretum emanavit a Concilio, quod Archiepiscopus Rothomagensis ad montem Audomari anno 1279. celebravit c. 10. *Firmiter inhibemus ne Vigiliæ, & Choreæ in Cæmeteriis, & locis sacris fiant*.

Reliquum est ut, quando minoribus et iam Clericis nullo ditatis Ecclesiæ beneficio, eadem fuerit impertita licentia cessandi a sacro opere dicamus ut assequar. Hoc crambem bis coctam obtrudere cogor. Refricanda itaque est memoria eorum, ex quibus, præter commune cum laicis vinculum asseruimus emersisse olim obligationem in minoribus Clericis frequentandi officiorum conventus, nimirum quòd omnes ad unum ad aliquem ex Ecclesiasticis ordinibus assumpti, ita alligabantur ali-

alicujus Ecclesiæ servitio, ut ei servire, ejusque functiones frequentare tenerentur, unde fiebat singulis, ut modo Beneficiariis, aliquam obtigisse sportularum, vel Ecclesiasticorum reddituum portionem, quos Laici clero offerebant, ut Clerum haberent apud Deum in Divinis officiis pro se deprecatorem. Quamdiu ergo hujusmodi viguit disciplina generali lege subjiciebantur Clerici omnes penso vel publicæ, vel, ex hujus defectu, privatæ recitationis: sed postquam Tonsura sine Ordinibus, & hi minores sine titulo Ecclesiæ, idest sine Beneficio dari cœpere, tunc invaluit, ut vinculum hoc in iis relaxaretur, & jussum primævæ obligationi inservire solum Beneficiarios, & majores clericos, etiam si Beneficio essent expertes; illi, quòd ex institutorum, vel Ecclesiæ lege Beneficium datur propter officium; isti quòd Sacerdotio maximè accedant, cujus est orationibus inter prima vacare.

Aliqua verò hujus præcepti relaxatio post sæculum decimum primum sua habuit initia, cum post hæc tempora abrogari cœperit præfata pro Ordinationis titulo disciplina, ut suadent Conciliorum decreta, & communis Scriptorum sensus, quibus certum est consuetudinem promovendi ad Clericatum ex solo Patrimonii, sine Beneficii titulo invectam ex inepta interpretatione can. *6.* Concilii Lateran. III. sub Alex. pariter III. celebrati, cui interpretationi deinde suum addidere calculum subsequentium Conciliorum canones. *Sine titulo Patrimoniali, vel Beneficio nullatenus admittatur*, inquir, Concilium Bitturicense anni 1223. abrogando penitus primum Ecclesiæ rigorem, quo ita cavebatur adscriptio ad alicujus Ecclesiæ servitutem, ejusdemque bonorum participationem pro ordine recipiendo, ut neque Monachi sine hoc initiarentur. De Clericis sit pro multis Concil. Chalced. c. *6. Nullum absolute ordinari nec Præsbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia Civitatis, vel Pagi, vel .... ille qui ordinatur, designetur.* De Monachis autem argumento sit oblatus ab Edgaro Angliæ Rege titulus Ecclesiæ, sub quo, ut refert Wilihelmus Malmesburiensis, Monachi ii possent ordinari, quos Abbas ad sublime ordinationis munus vere idoneos delegisset: *Ut*

Mo-

Monachos, quos idoneos judicarent, ad titulum S. Mariæ ordinari facerent.

Alio igitur ordinationis titulo in Ecclesiam inducto, antequam hic ad usum rectissimum juxta primam Ecclesiæ disciplinam redigeretur a Tridentinis Patribus, qui primigeniæ Ecclesiæ ardebant zelo; jam minores Clerici non de Ecclesiæ bonis, sed è propriis alimenta percipientes; non alicui Ecclesiæ arctati servitio, rati sunt ad se nova Disciplina Clericatum profitentes, antiqua oneranon spectare; ideoque, connivente Ecclesia, priscam deposuerunt veterum Clericorum legem, queis publicæ orationis ab Ecclesiæ servitio, & Ecclesiasticorum redditruum portione inducebatur necessitas; privatæ vero a Conciliorum decretis concedentibus, ut per privatam publicæ recitationis præcepto fieri posset satis, cum alicujus Ecclesiæ usus, vel irrepentes occupationes absentiam a Choro extorquerent; non secus ac recens fert Disciplina, ut ad privatam orationem Beneficiarius adstringatur, cum inevitabili publicam non adeundi premitur necessitate, vel ea sit Beneficii sors, ut ab officio chori liberet Beneficiarium: quod tamen primis sæculis vix contigisse suadent superiùs allata canonum statuta, solemnitatem officii in quibuscumque Ecclesiis præcipientia; & alia veterum Clericorum lex, qui, ita Ecclesiæ, ad cujus Beneficii titulum fuerant ex Laicorum classe educti, alligabantur, ut nunquam vel eam deserere, vel ab ejusdem ministerio possent abesse: *In quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis perseverent*, inquit Arelatense Conc. c. 2., & 21. *Si relictis locis suis, in quibus ordinati sunt, & ad alium se locum transferri voluerint, deponantur*. Patres Concilii Valentini: *Placuit, ut Clericus vagus etiam in Diaconi ministerio, vel Præsbyteri officio constitutus, si Episcopi præceptis, ut in delegata sibi Ecclesia officium dependat assiduum, non obedierit, quo usque in vitio permanserit, & communione, & honore privetur*: can. 5. & 6. Quidquod ne dum ab Ecclesia, sed vel a Clericatu semel suscepto nefas erat olim minoribus Clericis resilire: *Qui semel in Clero*, can. 7. Concilii Chalcedonensis, *deputati sunt; statuimus ad dignitatem aliquam mundanam non venire, & non agentes pœnitentiam, ita ut redeant ad hoc, quod propter Deum primitùs elegerunt, Anathematizari,*

zari, & Concilium Triburiense can. 7. *Statuimus, ut Clericus Ecclesiasticè nutritus, coram populo vel legens, vel cantans; si postmodum relicto Clericali habitu, a castris Dominicis ad sæculum regreditur, ab Episcopo canonicè coerceatur, ut ad sinum matris Ecclesiæ revertatur.*

CAPUT XVI.

Micrologus Breviarii voce primus inter sacros Autores meminit. Sugillatur Rudulphus Tungrensis Decanus ex nota inusta Franciscanis pro delecta breviori recitandi forma, & vindicatur Franciscanorum delectus. De Breviario Cardinalis Sanctæ Crucis. Qui Pontifices manum admoverint redigendo ad nostram formam Romano Breviario. Probatur emendatiorem editionem, publica accedente authoritate, in lucem emitti adhuc posse. Perperam a Gullielmo Cave insultatur Catholicis mutilatio operum S. S. Patrum, & convitiis excipitur Bollandianum opus. Quæ sit Breviarii authoritas circa Lectiones Scripturæ, & Patrum, Acta Sanctorum, atque alia hujusmodi. Occuritur objectioni contra assertam authoritatem.

ALtum apud veteres Autores de sacris ritibus conscribentes, occurrit silentium de voce Breviarii ad eam rem denotandam, pro qua ab aliquot sæculis eam communiter usurparunt Pontifices, Concilia, & Tridentinum ipsum sess. 25. de Indic. lib. &c., nec non recentiores. Primus inter Ecclesiasticos Scriptores usus est hac voce, qui, sæculo decimo primo senescente, florebat Anonymus Micrologi author c. 28. *de Observ. Ecclesiast.* Rudulphus Tungrensis Decanus can. 22. de Canon. observ. putat titulum hunc divinorum Officiorum cursui tributum ex breviata recitandi forma, quæ in horarum cantu Lateranensi Ecclesiæ, ac Pontificiæ curiæ Clericis familiaris erat, qui ob negotiorum molem, *Sive de Mandato Papæ, sive ex se officium Romanum semper breviabant, & sæpe alterabant, pro ut Domino Papæ, & Cardinalibus congruebat observandum*; atque hinc, ait post aliqua, factum est, ut *Libri officii intitulentur Breviaria*.

Hinc etiam apud Monachos Breviarii nomen divinorum

Officiorum libris inditum putat P. Martene l.5.c.17.n.16. *De antiquis Monachorum Ritibus*, hæc scribens: *Hujusmodi libellos eo, quòd longè breviores Lectiones, quam Lectionarii Monasterii, continerent, posteris appellare Breviaria visum est:* eodemque nomine hujusmodi Codices donati occurrunt in Stat. Abbatum Provinciæ Narbonensis, ubi statuitur, *ut Monachi in Sacris Ordinibus constituti, in longo itinere profecti sine Breviario, aut Psalterio non mittantur.* Mentio de Breviario habetur pariter c.14. Concilii Toletani anno 1229. celebrati. Laudatus Tungrensis Decanus addit l. c. istud officium sic breviatum secutos esse Fratres Minores. Quod etiam si veritati congruat; non tamen hinc sequitur Franciscanis, & Dominicanis primùm acceptam ferri debere hanc denominationem, ut nonnulli opinantur: nam multò antiquiorem esse suadet Micrologi testimonium, qui superiori, quam Minorum Ordo Ecclesiam decoraret, sæculo sub hac Breviarii voce complexus est librum Divinorum Officiorum. Illud concedi potest communiùs usurpatam vocem hanc sæculo decimo tertio, cum gemina hæc Religionum sydera orbi Catholico latissimè illuxerunt, eo quòd etiam amplior factus fuerit tunc usus hoc officiorum genere utendi. Sæculo enim XIII. Lateranensem consuetudinem imitati sunt primo Francisci assetclæ, deinde Nicolao III. Legislatore, eamdem receperunt reliquæ Romanæ urbis Ecclesiæ, ac ab his in totum orbem, qui Romano adhæret ritui, fuit propagata, ut enarrat idem Rudulphus.

Quod autem huic authori sugillare visum est Franciscanos, ex delecta breviori orandi forma Romanæ curiæ, ab hac censura temperare sibi poterat, & temperasset profecto; si graviores, & molestiores aliarum orationum, sanctorumque operum occupationes, quibus ab initio fuerant per Franciscum, Summosque Pontifices destinati, attentius animadvertisset. Quare cum in partem communium Ecclesiæ negotiorum statim vocati fuerint Franciscani, ut liquet ex Spondano ad annum 1233. 1245. & 1274. mirum non est illud orandi Officium sibi delegisse, cui ob eamdem publicarum occupationum sarcinam fas habebant vacare Pontifices, & Purpurati Ecclesiæ Patres. Multò minus vellicare poterat

hoc

hoc institutum ex eo, quòd ansam aliis dederit mutandò in brevius prolixiora officia, per quamlibet orbis partem usitata: nam, præterquamquod testimonium ferente ipso Tungrensi, hæc mutatio facta fuit Decreto Nicolai III. triginta, & ultra annos a tempore, cum Haimus Minorum Generalis, instante Greg. IX. ad formam Lateranensis Ecclesiæ jam digesserat pro suis persolvendum Breviarium; certè non omnibus ea erat justa excusatio, quam sibi prætexere poterant Franciscani, qui se totos publico Ecclesiæ bono in diem devovebant, atque de Catholica fide benemerebantur ex defunctis Apostolicis Missionibus, atque exanthlatis immensis pro Christiani nominis propagatione laboribus. Quod si non omnes ad unum eadem obirent munia; æquum tamen erat paucos pro exorientis Religionis bono minoribus obnoxios occupationibus, qui communior erat in Religione, orandi ritum sectari; præcipuè cum nulla consuetudine, nulla lege alterius officii obligatione premerentur, quod pro se adferre aliæ Sæcularium Ecclesiæ, vel Religiosorum Congregationes non poterant, certa potius officii forma ob longum usum, & peculiaria statuta detentæ, non refragante Rudulpho: *Aliæ autem nationes orbis Romani libros, & Officia sua habent directa ab ipsis Ecclesiis Romanis, & non a Capella Papæ, sicut ex libris, & tractatibus Amalarii, Valfridi, Micrologi, Gemmæ, & ceterorum de officio divino scribentium, colligitur evidenter.*

At his dimissis, aliisque gravioribus pro Religioso Ordine producendis: investiganda est alterius Breviarii, quod Cardinalis sanctæ Crucis dicebant, origo. Nomen traxit ab authore, quem convenit inter omnes habendum esse Quignonium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem titul. Sanctæ Crucis in Jerusalem. Sub Clem. VII. Pontificatu lucem vidit hoc opus authoritatis non omnino privatæ. Cum enim S. P. inter multas procellas, quibus agitata fuit Petri navis per suæ dignitatis tempora, animum convertisset ad reformandum Romanum Breviarium, hortatus est Cardinalem Quignonium, ut intento operi manum admoveret: hic nihil cunctatus, novum Breviarium concinnavit, re ita disposita, ut singulæ Officii horæ tribus dumtaxat Psalmis constarent;

Matutino autem præter tres Pfalmos tres accedebant Lectiones, quarum ultima mira brevitate, & fide complectebatur historiam, feu vitam Sancti, cujus memoria eo die ab Ecclefia recolebatur. Labor Cardinalis arrifit multis, brevique multorum manibus contrectatus, fubrogabatur a multis communi, & ante præfcripto Romanæ curiæ Breviario, fide crediderim bona, at præpoftera fane licentia, & præter Pontificum mentem, qui aliquot annis tollerarunt in Ecclefia hujufce Breviarii ufum, in gratiam dumtaxat hominum pluribus negotiis, atque ingruentibus curis diftentorum juxta authoris finem, & confuetudinem facultatum, quæ eo tempore folebant impertiri pro libera ejufdem recitatione, ut clarè innuit P. Turfellinus in Vita S. Francifci Xaverii l. ult. c. 5. *Nuper*, inquit, *novum ternarum lectionum Breviarium, S. Crucis dicebatur, occupatorum hominum levamen editum erat; ejufque ufus propter occupationes ab initio conceffus Francifco:* quamvis hac indulgentia numquam ufum fuiffe S. Apoftolum, iis continuò curis pro animarum falute oppreffum, quibus vix multi pares fuiffent defungendis, fidem faciat laudatus author: *Ille tamen*, fubdit, *numquam permiffa uti voluit licentia, vetufque Breviarium novenarum Lectionum haud paullò longius perpetuò recitavit*. Plura extant adhuc hujus exemplaria in publicis, privatifque Bibliothecis; ejufdemque percurrendi ordinis copia mihi facta fuit ab amico, impreffi anno 1566. biennio nimirum, antequam contra ipfius ufum prodiret è Vaticano Solio prohibitionis decretum, quod, Pio V. Pontifice, emanavit in Bulla *Quod a nobis:* ubi reliqua inter ad difciplinam officii fpectantia, authoritas omnis huic Breviario detrahitur; eò quia nimirum in orando facrorum miniftrorum fua brevitate promoveret foccordiam.

Pofceret hic locus, ut infuper Summorum Pontificum, qui ad admirabile illud myfteriorum, & perfectionis compendium redigendo Breviario operam navarunt, nomina depromerem; fed, fi fingula exponere, atque ex antiquitatis ruderibus eruere inftituam Acta omnia Pontificum in re noftra, nemo non videt, cujus operis inftitutum fit, & quam extra propofitum modum excurret oratio. Quare juvabit aliquos dumtaxat referre, & eos maximè, qui ultimo loco extre-

mam

mam operi manum imposuerunt. Laudatur a Pio V. in Bulla Breviariorum præposita editionibus sedula Pauli, & Pii hujus nominis IV. cura in procuranda exacta Officiorum forma, & liberando a mendis, quod irrepserat correctione dignum. Meminit præterea in eadem Bulla S. P. veterum Pontificum Gelasii I. anno 492. Greg. I. anno 590. & Greg. VII. anno 1073. suprema Ecclesiæ dignitate donati, quibus aliquo modo præsentis Breviarii formam deberi pronuntiat; nec suo defraudandus est loco Nicolaus III. saltem ex propagato ad alias Ecclesias hujus Breviarii usus; ut modò diximus. Ipse autem Pius V. cui nihil fuit antiquius, quam ut Ecclesiasticam erigeret disciplinam, eaque sanctissimis Tridentini præscriptis accomodata in omnium Catholicorum moribus reipsa eluceret, diligentissimè incubuit, ut juxta Patrum Tridentinæ Synodi decretum sess. 25. de Indic. l. &c. talis evulgaretur Officiorum forma, qualis in Universæ Ecclesiæ votis erat. Summa quidem, & qua major desiderari non poterat fuit Pii diligentia in nova Breviarii editione, ea tamen nequiit, ut numeris omnibus absolutum prodiret. Ideo Clemens VIII. Pontifex zelo infaticabili admodum elaboravit in emendandis iis, quæ a studio decessorum evaserant, iisque pariter tollendis, quæ progressu temporis in Pianam correctionem invaluerant, ut testatur ipsemet Pontifex in Bulla, quæ incipit *Cum in Ecclesia*, data Romæ sexto Idus Maii anno 1602. Denique eamdem Provinciam ultimus omnium obivit Urbanus VIII., qui & cura hominm eruditorum liberavit ab aliquibus mendis edita jam a Pio V. & recognita Clem. VIII. Officia, & proprio labore multa addidit, plura elegantiori stylo concinnavit, sacrosque Hymnos præsertim, utpote Poeseos laude non minus, quam doctrina Patrum, Scriptorumque eruditione celeberimus ad exactas metri regulas adornavit, cui multum laudis ideo etiam debetur; quòd maxima intet Pontificiæ dignitatis negotia publicis privatos addere labores in commodum rei Catholicæ non pepercerit. Alia quæ S. Pontifex gessit, ut Breviarium reduceret ad eam formam, quam nobis suspicere licet, legesis in Bulla ejusdem Urbani data octavo Calendas Februarii anni 1631., quæ incipit, *Divinam Psalmodiam*.

Mi-

Mirum videbitur alicui postquam S. Pontifex Pius V. aliique etiam ejusdem in Petri cathedra antecessores, nihil intentatum reliquerunt, ut emendatissimam Breviarii editionem darent orbi Catholico, & accitis undequaque hominibus eximia pietate, profunda eruditione, sublimi sapientia conspicuis, demandarint id oneris, ut castigatissimum elaborarent divinorum Officiorum compendium; postquam idem Pius palmam correctissimi compendii arripuisse sibi visus est,& in sua Constitutione edixit,ne quis vulgato a se Breviario aliquid addere, mutare, vel detrahereauderet, post, inquam, hæc omnia, mendis adhuc scatuisse librum hunc, ita ut ad procudendam editionem,Piana emendatiorem, operam impendere debuerit Clem. VIII., & rursus Clementina non contentus, utpote multis corrigenda locis, Urbanus VIII. aliam concinnari procuraverit Breviarii editionem, quæ nunc prævalet, & quæ correctiori forte manu, publica tamen accedente authoritate, lucem videre posset.

Attamen mirari desinet, si attento secum animo volvat eam esse maximorum operum conditionem, ut maximos etiam viros, vel maxima præstita diligentia alicui lapsui semper reddat obnoxios; quod tantis viris, curam licet omnem operi, de quo agimus, intendentibus evenisse mirum non est. Neque ulla fidei Dogmatibus, divinique Spiritus locutionibus in Breviario contentis, irrogatur injuria, etiamsi adhuc profiteamur errorem aliquem, qui corrigatur, superesse, ut nobiscum profiteatur necesse est quilibet in Theologica arena, vel tenuiter exercitatus; cum exploratum habuerit mendosas locutiones, quas post Pium, & Clementem relictas, quasque post Urbani codicem superesse tuemur, minutas quasdam Scripturæ particulas, Patrum lectiones aliquas, Acta Sanctorum, & alia hujusmodi spectare, quæ ut purum factum, & particularium aliquando Scriptorum, Amanuensium, atque Librariorum fidem complectentia, testatissimum est fidei Catholicæ Doctrinam non concernere. Et profectò præter Urbanæ, & Clementinæ Bullæ autoritatem, nævos irrepsisse affirmantis in Pianam editionem, nemo inficiabitur in ultimo per Urbanum vulgato codice decerptas haberi Sanctorum Patrum lectiones ex iis codicibus,

cibus, qui ad fidem vetustiorum manu scriptorum summo studio, & cura fuerant procusi, & tamen post Urbanum VIII. plura ex iis Patribus scripta expuncta fuerunt a multis mendis, quæ in qualibet priorum editione occurrebant, ac diligentiori opera fuerunt ad alios M.S.S. Codices ex celebrioribus Bibliothecis conquisitos restituta, & cunctis plaudentibus, alia vulgantur in dies castigatiora potissimum vero in Galliis peculiari Monachorum è Congregatione S. Mauri cura, quos Reip. Christiane bonò natos una est eruditorum sententia. Quod spectat ad Sanctorum hominum Acta, & Miracula, quæ frequenter ibidem recensentur, non aliter discurrere fas est: ut enim omittam Ecclesiam a suis de eorum veritate fidem non plus quam humanam efflagitare; & fictitia, commentaque plura uti fusiùs Cap.Seq., jamdiu per impostorum audaciam, nimiamque piorum credulitatem penetrasse in hæc, quæ versamus Sanctorum Acta, & miracula, scribente Baronio in Proleg.ad Martyrol.c.3. *Acta illa Sanctorum Martyrum tanta cura, ac diligentia perquisita, per Notarios S. R. Ecclesiæ conscripta, per Subdiaconos, ac Diaconos cognita, & demum per ipsos R. Pontifices probata, atque recondita, collapsa sunt, deperdita, vel saltem adulterata.* Adulterina manus in publicos etiam precum libros, in Romanorum Pontificum Epistolas, atque alia Ecclesiæ monumenta irrepsit: unde necesse fuit multum operæ collocarent docti viri, & in primis Baronius in expurgandis ab hac fæce historiis, Martyrologiis, & Breviariis ipsis post Pium vulgatis. Quid? Certum est editis jam Sanctorum Martyrum, & Confessorum Actis a Clemente, & Urbano, licuisse pluribus ad novam limam revocare illorum sinceritatem; eadem exemplaria, ex quibus contexta fuit duorum Pontificum jussu, vel consensu Historia, falsitatis in multis arguere, & emendatiores procudere narrationes, ut inter reliquos præstiterunt Bollandus, Henschenius, Papebrochius, Cordonus, aliique Rosveidi instituti continuatores, quorum immensum opus, quamvis incredibili labore, & diligentia concinnatum, tamen non omnes nævos a Sanctorum Actis ita expurgavit, ut nostris, futurisque ingeniis reliquum adhuc non sit, in quo utiliter se se exerceant; quemadmodum jam cùm in S. S. P. P.

scri-

ſcriptis, tum in vitis Sanctorum jam præſtiterunt viri clari,& præſtabunt maximo Catholicæ Religionis commodo, Pontificumque plauſu, quibus, ut reliquo Catholicorum cœtui, perſuaſum eſt veritatem fidei ſtare per ſe ſe altis defixa radicibus, nec commentitiis indigere miraculis, & S. S. præclarè geſtis, ut major illi veneratio, & fama concilietur, aut mutilatis, & corruptis Patrum textibus, ut ejuſdem magis ſtabiliantur dogmata. Quibus Decretis obviam ierit Miraculorum, Sanctorumque impoſtoribus Eccleſia, quas pœnas in eoſdem conjecerit, quid in Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum ſtatuerit hac in re Gelaſius P. M., ſatis eſt exploratum, proditque ab Eccleſiæ mente longe ſemper fuiſſe malis hiſce artibus, & funiculis cauſam veritatis tueri, eique gratum fore ut ſemper accidat, ſi vera ſuorum Heroum geſta ab adulterinis, germana Sanctorum Patrum loca a corruptis ſecernantur; ſic enim quælibet declamandi adverſus Catholicos præcluditur Hæreticis occaſio, & vera eſſe cauſa noſtra oſtenditur, quæ tantùm ſincera excipit, conficta reſpuit, dubia pro veris præſidia non obtrudit.

Hinc colligere licet, quam inique, & ſubdole inſultando objecerit Catholicis Gullielmus Cave in Prolegom. ad Hiſt. Litterariam Scriptorum Eccleſiaſticorum, mala arte mutilatos a Catholicis Sanctorum Patrum textus, ubi aliquod occurrebat Eccleſiaſticis definitionibus nequaquam conſentaneum, quaſi toti Catholico orbi vertendum foret aliquorum facinus, refragante Eccleſia, attentatum, zelo crediderim bono, at minimè imitando conſilio; nam quæcumque in alicujus Patris germano textu vel obſcura, vel in ſpeciem adverſantia rectæ fidei proſtent, non diſſimulanda vult Eccleſia, ſed ut Theologorum ingeniis cura reliquatur,obſcura explicandi, adverſantia ad ſanam intelligentiam reducendi, ac oſtendendi nihil illa officere Catholicæ Eccleſiæ Dogmatibus; quo in munere Scholaſtica, & Polemica Theologia in primis verſatur. Quod ſi nullam admittant interpretationem nimis clara pro errore alicujus Patris verba, tunc veneranda in aliis ipſius doctrina, in eo tamen ab ejuſdem ſenſu Catholico cuilibet eſt recedendum; non enim Auguſtino, non

non Hieronymo, non Ambrosio; sed Petro, ejusque in Primatu successoribus promisit Deus non errandi in fide privilegium. Et nuper Alex. VIII. nigro theta confixit Jansenistarum doctrinam, eructantium nihil Pontificum Bullæ tribuendum esse, ubi contrà clara, & in Augustino fundata proferatur doctrina.

Nec minus deferendum est eidem Cave ex præpostero judicio, quod hic Anglus Hæreticus profert in Præfatione alterius partis laudatæ Historiæ de Bollandiano opere, illud vocitans *stultum laborem ineptiarum*, nec non *fabularum, & nugarum plaustra*. Livor, & odium ad hæc convitia impulit hominem, ut pote qui perspectum habuit ex horum Patrum studio, erectoque aliis pro eadem diligentia vexillo emendandi ad extremum apicem Sanctorum Acta, & Miracula, vel ereptum jam suis, vel brevi eripiendum esse modum omnem Catholicorum sanctitatem sine mendacii nota in dubium revocandi, eorumque miracula imposturis accersendi, ut hactenus Novatorum multi conati sunt, qui ex mendosis Catholicorum libris, dubia aliquot, conficta, & falsa producentes, per hæc fidem veris detraxerunt apud incautos, quasi omnia antiquitatis monumenta, facta omnia, quæ in sacris, prophanisque Historiis narrantur pro mendaciis habenda sint, quòd iis multa incerta, & falsa sint immixta. Jure sane optimo utramque hanc, & corrupti textus, & suppositorum Actuum notam ipsis Hæreticis inurere possunt Catholici. Quid enim non modo in Sanctorum Patrum Scriptis; verum etiam intemerato in divinæ Scripturæ textu obtruncando; quid in comminiscendis, atque adeo ementiendis ad suorum Dogma tum fidem miraculis non ausi sunt vel eorum Antesignani? ut in promptu esset lato calamo hìc cuncta stabilire, nisi sequenti capite id reservaremus ostendendum.

Sed, ut unde digressa, redeat oratio: iis, quæ demonstrant obrepsisse revera nævos, & post extremam editionem aliquibus adhuc inspersa nævis esse posse Breviaria, in victissimum præterea accedat argumentum, quod scrupulum adimat omnem necesse est, si statuerimus quod in confesso esse debet omnibus, nimirum minori esse in pretio apud Catholicos [si tamen excipias, quæ hic sunt ex Scripturis

inserta] Officiorum, quam Scripturarum Codicem, quo supra reliquos omnes Religionis nostræ stabilitur veritas, & divini spiritus revelationes ad nos usque derivatæ continentur. Porro certum est ab Ecclesiæ incunabulis ad tempora Tridentinæ Synodi invectos fuisse in sacrorum Codicum versionem errores aliquos, circa vocabula tamen, ut diximus, aliasque verborum minutias, quæ neque res fidei lædere, vel morum disciplinam labefactare possunt; neque sane alia de causa Hieronymo linguarum peritissimo curam demandavit Damasus Pontifex expurgandi Græcam 70. Interpretum editionem; non alia Carolus Magnus novam suscepit post Hieronyminianam emendationem, quæ multitudine transcriptorum fuerat in pluribus depravata; non alia Tridentini Patres sess. 4. decreverunt, *ut ipsa vetus, & vulgata editio quam emendatissimè imprimatur*, & in eodem Conc. propositum prius fuisse, num publico decreto medendum esset erroribus, queis exscriptorum incuria eadem editio fuerat inspersa, constat ex sinceris monumentis productis ab Emin. Pallav. l.6. c.15.n.2.Hist.Concil.Trid. Quin post Tridentinam correctionem Sixtus V. & Clem. VIII. plura, quæ emendarent nacti sunt, & adhuc superesse, quo perfectior vulgari posset Clementina editio, sentiunt viri doctissimi, Jacobus Salianus, Petavius, Serrarius, Tirinus, A Lapide; nec non P. Simonius Berrulliani Oratorii Presbyter in sua Hist. Critica V. T. ubi regulas aliquot melioris cudendæ editionis proponit, quamvis communi Criticorum calculo, utpote multis implexas difficultatibus, non admissas: immo allatis quatuor mille, & ultra locis, queis Clementina editio corrigi posset, authoritate tamen Ecclesiæ accedente, demonstrat in libello hac de re edito Franciscus Lucas Theologus, ac Decanus Cathedralis Ecclesiæ Audomarensis: Bellarminus verò l. 2. *de Verbo Dei* c. 10. & 11. Calvinum perstringit eo, quòd Tridentinis Patribus imposuerit præclusam ex Concilii de Vulgata decreto fuisse, purioris laticis hauriendi facultatem illis, qui aliquem errorem veritate ipsa refutare vellent: nihil enim, ait, in eo decreto contra Originalia ipsa fuisse actum, nec Patres definitione sua voluisse consecrare menda, quibus adhuc forte scatet Vulgata; sed cuique vel post Concilium

eam

eam cum Originalibus conferre permiſſum,& ſicubi minus apparreret defæcatior, pro merito emendare.

Huc ſpectare mecum non diffitebuntur eruditiores litterariam illam concertationem, quam P. Pezron in eruditiſſimo ſuo *de Reſtituta temporum antiquitate* opere juris publici Gallicè facto anno 1687. promovit: num ſcilicet a mundi ad Chriſti ortum quatuor, an ſex annorum millia effluxerint. Neminem fugit ex Vulgatæ calculo, ſeu quatuor, ſeu vix ſupra quatuor mille annos antiquiorem mundum conſtitui ad Chriſti ortum, magnamque illorum ſeriem per Adami, ejuſque deſcendentium ætates primis Geneſeos capitibus, Breviarii quoque Lectionibus feriæ ſextæ, atque ſabbati ante Sexageſimam commendatis, enumerari. At vero id non obfuit viro literato, quin contra enumeratos a Vulgata annos opinionem ſuam ſtabiliret, eique Græcam Chronologiam, ſive Septuaginta calculum cenſeret præferendum, cauſatus corruptum Hebraicum, quem vulgata ſequitur in hac enumeratione, textum, aliiſque non contemnendis adductus momentis, quibus Lectoribus perſuaſionem facere conatur, tam in primo ſuo opere hac de re elucubrato, quam in altero ad primi defenſionem quatuor poſt annis edito, ubi contra obnitentis P. Martinay Benedictini licèt facere ſatis videatur argumentis, non in ſuam tamen ſententiam traxit, qui poſt eum de re Chronologica elucubrationes vulgarunt; imo ſpeciali opere, cui titulus *L'Antiquitè des Tems detruite*, rurſus hoc Pezron ſiſtema P. le Quien oppugnavit, in arenam pro recepta jam Scaligeri in libris de Emend. temp. quæque prope convenit, Petavii l. 12. de Doct. temp. Uſſerii in Annalibus, Auberti Miræi, &c. opinione deſcendens. Si hæc igitur de Scriptura etiam adhibito ſupra hominem ad illius correctionem ſtudio; cur idem de Breviario ſentire non licebit? cur & in hoc ſuos extare nævos, ſua irrepſiſſe menda religio erit affirmare?

Dubium ex his ſuboriri poſſet alicui, ecquam authoritatem obtineat in rebus Theologicis Breviarium; ſeu ecquod ab ipſo deducatur argumentum, certum ne, & cujus certitudinis, an probabile. Equidem, quæ animo inſideat ſententia in iſceptatione non ſatis Theologorum calamis frequentata,

aperiam, peritorum censuræ, quæcumque dixero, subjiciens; paratus de sententia discedere, cum quis certiora protulerit. In Romano itaque Breviario tria spectari possunt: Primò translata ex Canonicis litteris, ut Psalmi, Lectiones Scripturarum, Evangelia, & reliqua hujusmodi ex iisdem sacris paginis decerpta. Secundo Lectiones S. S. Patrum, eorumque in Sacra Evangelia interpretationes, quò reduci possunt & Hymni. Tertio Sanctorum Historiæ, uti martyria, sanctitatem, virtutes, miracula, & particularia facta complectuntur. Quòd est ad primum caput, nemo non videt Catholicum quemque eamdem illis debere reverentiam, idem obsequium, quod ipsi divino Codici est deferendum infallibile exhibenti, & divina fide venerandum argumentum, utpote qui, Spiritu Sancto dictante fallere, vel falli nequaquam apto, fuit per veteres Prophetas, novosque Evangelicæ legis Præcones exceptus, & ad nos usque mirabili providentia tot inter sæculorum vices integer, quasi per manus transmissus. Extra omnem dubitationis aleam constitutum hoc est: Catholicorum nemo refragatur, vel refragari potest, nisi ineptè sibi persuadeat, ne dicam blasphemè, aliam in sacro Codice, aliam extra eumdem esse divinæ locutionis authoritatem.

Major circa alterum caput occurrit disceptandi materies: Et primò Patres loquentes de rebus ad fidei doctrinam, & sacras litteras pertinentibus, distinguere juvat ab iisdem Patribus, loquentibus de iis, quæ ad Philosophiam, vel prophanas scientias pertinent, cujusmodi locutiones non una reperire est in Lectionibus Breviario insertis. De his convenit apud cordatos viros non alio loco habendos Sanctos Patres, vel singulorum, vel omnium in unum feratur consensus, quam quo habentur privati Doctores, eorumque dicta tantum valere, quantum rationibus, & argumentis nituntur: cum enim Patrum authoritas veneranda sit Catholicis ideo, quia Patres, & Doctores Ecclesiæ suæ dederit Christus, ut populum fidelem docerent, quæ verè de Religione credenda, & piè facienda sunt; cumque ultra horum fines constituantur res terrenam sapientes eruditionem, sequitur manifestè Patrum effata non venerationem in iisdem, sed

hu-

humanam dumtaxat, & errori obnoxiam exigere posse authoritatem, probandam quidem, ubi contra eorum argumenta robustiores non afferrantur Classicorum authorum rationes, sed deserendam pariter, ubi hæc contingant. Certè lib. de Civ. Dei c. 9. Antipodas, seu populos adversis vestigiis nobis oppositos, tamquam commentitios rejecit Augustinus, eadem sententia placuit Lactantio, nec Nazianzeno displicuit; Chrysostomus, Theodoretus, Theophilatus, & alii, sphæricum esse cœlum inficiati sunt; Ambrosius docuit solem ad sui temperiem aquarum sibi sumere alimentum; Angelico Doctori, ut aliorum præteream errores, quos ex Decret. dist. 15. c. *Sancta Romana Ecclesia* relatos, accipere facillimmum erit, Angelico, inquam, Doctori Zona æquinoctialis visa est habitatoribus expers p. 1. q. 102. art. 2. ad 4. Has autem opiniones, & falsitatis olim Phisicis, Astronomicisque momentis convinci potuisse, & tandem experientia esse profligatas in confesso est apud omnes. Quod præ oculis habens eruditissimus Melchior Cano l. 7. de locis Theolog. neque majorem afferta, Patribus in hoc vindicavit authoritatem, neque eorum lapsus dissimulavit. *Viri*, inquit, *docti errores quosdam [quod ad Philosophiam attinet] in sanctis antiquis deprehendunt, atque hujus rei exempla proferre facillimum esset, sed non libet etiam in his parvis majores nostros designare.*

Si verò ad Religionis negotium spectent litteris consignata a Patribus, distinguendum rursus puto; vel Breviario ab Ecclesia commendatæ Patrum Sententiæ eæ sunt, in quas tota reliquorum Patrum cohors concedit; vel eæ, quæ singularem alicujus, aut si vis, pluribus communem sensum, aliis oppositè sentientibus, explicant. Si primum Catholicæ Ecclesiæ certissimum est effatum omnes S. S. Patres in aliquo Dogmate, & sacrarum litterarum expositione concordes, solidissimum, atque Divinitùs certum veritatis suppeditare argumentum; cum sic totam Ecclesia reprehesentent, quam nunquam in errores lapsuram pollicitus est Deus: quare eadem pollebunt authoritate, etiam in Breviario contentæ S. S. Patrum locutiones; idem in Breviario, ac extra exhibebunt de divina revelatione argumentum. Si secundum, reor, utcumque ab Ecclesia productæ, & ad alicujus Scripturæ interpretatio-

rationem accomodatæ virorum Sanctitate; & eruditione præstantium sententiæ, non majorem referendam esse authoritatem, quam eædem Breviario non accitæ promereantur. Quapropter cum, unanimi Theologorum turba consentiente, singuli, Plures, & etiam Plerique Patrum, paucioribus reclamantibus, firmum veritatis argumentum præstare non possint, sed solum probabile, probabilis & erit ex Breviario hujusmodi Patrum deprompta sententia, ne majoris quidem probabilitatis gradu ex hoc accedente. Et revera in Scholasticis disceptationibus, re utrimque dubia, passim Augustinum, Hieronymum, Gregorium, aliosque producunt Theologi, desumpto pro se testimonio ex iis locis, quæ Ecclesia pro Officiorum Lectionibus delegit, nec quis somniavit adhuc firmius comparasse suæ causæ præsidium ex hoc capite, quod tamen diligentes, & perspicaces viri non omisissent, si hinc patrocinium sibi, Patrum testimoniis authoritatem augeri intellexissent. Deinde qui explicando Scripturæ textui operam conferunt, nihil officere sibi persuadent, quominus cum aliis Patribus in sententiam abeant contrariam illi, quam Evangelicæ, aut aliarum Scripturarum interpretationi apposuit Ecclesia, ex alio Patre desumptam, eamque veluti probabiliorem tueantur. Sic Cajetanus, Jansenius, & alii Magistrum Hist. Schol. sectantur, opinantem Sydus, quod in Christi nativitate locum divini pueri Magis præmonstravit, ab Hierusalem tantùm usque ad diversorium motu suo præcessisse ab Oriente properantes Magos, dissentientibus Leone, Gregorio, Augustino in Breviario, aliisque Patrum, queis toto itineris decursu, ab Oriente nimirum ad Hierosolymam Magis comitantem stellam præluxisse probatum est. Eidem Jansenio cum aliquo Recentiorum subsaltatio Baptistæ in utero Matris, dum a Deipara invisitur, supernaturalis quidem contra Calvinum fuit, at sine rationis usu, uti Augustinus, & Eucherius opinantur, licet Ambrosius in Homilia Nativitatis, & reliquum interpretum agmen tueatur exilisse Joannem supernaturali virtute, ejusque motum verè a rationis usu promanasse. Jacob Esau personam, ut paternam ab Isaaco extorqueret benedictionem simulanti, mendacii notam inurunt recentiores multi cum Chrysost. homil.

53.

53. in Genes. nullum iis facessente negotium Ambrosii apud Breviarium authoritate, qui non *mendacium*, *sed mysterium* habendam censet hujusmodi fictionem. Ideo supremum Dei filium e Virgine matre nasci voluisse, ut Divinæ Conceptionis mysterium occultaretur Diabolo, legimus ex Ignatii Martyris sententia in R. Breviarii ab eodem Sancto excerptis Lectionibus in pervigilio Nativitatis Dominicæ, aliisque per annum solemniis: & tamen hujusmodi rationem cavillantur præter Tostatum Abulensem Episcopum, & Maldonatum Scotus in 4. d. 30., q. 2. *Sed hæc ratio*, inquiens, *videtur parvi valoris; quomodo enim non posset Diabolus videre virginitatem matris, si habuisset virum, sicut si non habuisset?* Sed in re nota pluribus non est immorandum.

Addo licere viro erudito, in consilium tamen vocato recto Critices usu, vel dubiis, vel supposititiis accensere alicujus Patris opera, non obstante, quod illi adscribantur a Romano Breviario. Nonnulla proferam, quibus res clara apertior fiat. D.D. Ambrosio, & Aug. adjudicat Breviarum celebre illud Canticum *Te Deum*, quo matutinum a Laudibus secernitur. Recentiores tamen in diversa trahuntur placita de illius Hymni authore. Sunt, qui Hilario hunc tribuant; sunt qui Abundium Monachum; sunt qui alios ejusdem agnoscunt authores. Conveniunt tamen omnes certo affirmari non posse certum esse Ambrosii, & Augustini fœtum: imò Patres Congregationis D. Mauri in postrema operum D. Ambrosii editione fabulis tradunt, quod de origine istius Hymni narratur in Chronico Decii Mediolanensis Episcopi, ubi maximè pervulgata horum authorum nitebatur traditio: *Nemo*, ajunt, *quippe est hac nostra ætate non plane rudis, qui fabulam esse inficietur, quod eumdem Hymnum post Baptizatum ab Ambrosio magnum Augustinum, ab utroque alternis vicibus decantatum olim jactabant*. De Symbolo Athanasii, etiamsi eumdem Athanasium proponat ipsius authorem Ecclesia in Breviario, licuit tamen dubitationem instituere peritis Criticis, & vel omnino eripere Athanasio hoc opus, vel ad dubia ejus scripta relegare propter multa, quæ ibidem occurrunt, & suadent non stylum, non profligatos errores Athanasio congruere. Similiter post Clementinam editionem

Areo-

Areopagitæ Dionysio non sunt eripiendi libri de divinis nominibus, & Ecclesiastica Hierarchia, si Breviarii aures accomodemus, quos tamen ab hoc Auctore fuisse profectos mordicùs negant recentiores cum Launoyo, & Morino *l. de Sac. Ordinat. Præf. in Ritus Ordinationum traditos a Dionysio*, plura in his libris nanciscentes, quæ Dionysii ætatem non sapiunt, plura in Græcanicæ literaturæ, ac Philosophiæ charactere confectata, quæ apud I. sæculi Scriptores planè sunt inusitata.

Restat, ut Sanctorum Historiæ indagemus authoritatem; Quod spectat ad sanctitatem eorum, quos Ecclesia tanquam cœlestes incolas proponit colendos in terris, licet firmissimo assensu, divinaque fide (ut piè volunt aliqui) credendum non-esse fatear Ecclesiam ab erroris periculo in proponenda alicujus sanctitatis gloria immunem esse: tamen temerarium, & a suspicione hæresis vix alienum esset in hoc communi Ecclesiæ sensui refragari, vel sermo sit de ingenti eo Sanctorum numero, quos in Breviario veneramur, quamquam non præcesserit solemnis Summorum Pontificum Canonizatio, vel de iis, quos post attentum, diligensque studium Sanctorum albo solemni cultu adscripserunt Pontifices Maximi. Quam enim imprudentiam non præferat; quantum Ecclesiæ authoritatem parvi pendere non ostendat, quicumque improbare audeat cultum; & dubiam, vel falsam habere summa diligentia investigatam,atque a tota Ecclesia approbatam Sanctitatem? Dixi,vel præcesserit, vel non Canonizatio solemnis, a Summis Pontificibus peracta; non ita tamen hæc accipi vellem, quasi nulla fuerit unquam in Ecclesia publica Sanctorum fastis adscribendi pompa, nisi a summis Pontificibus promanaret. Non enim me latet fas nullo tempore fuisse in Ecclesia publico cultu aliquem prosequi, de cujus sanctitate solemnis non præcesserit declaratio, imò neque obitam pro Christi nomine diros inter cruciatus mortem fuisse huic tribuendæ venerationi, suadet Cæciliani Carthaginensis Ecclesiæ Archidiaconi Factum, publica reprehensione invehentis in Lucillam prædivitem feminam, quòd superstitioso osculo ante sacram communionem venerata fuerit hominem, & si in odium fidei interremptum, nondum tamen ut talem ab Ecle-

clesia agnitum, qua deinde reprensione odio inflammata Lucilla, Donatistarum schismatis præcipua fax, & instrumentum evasit. Præter multos igitur a nuperis sæculis solemniter in Sanctorum Catalogum relatos per Pontifices Maximos, jam inde ab initio Christianæ Religionis Archiepiscoporum, & Primatuum vel in Synodis, vel in Diœcesum visitatione munus erat, pro suis Ecclesiis tamen, in Sanctorum canonem referre homines, absoluta pietate, sanctitate, & miraculorum gloria verè conspicuos. Hoc pacto coluit antiquitas Linos, Cletos, Laurentios, Cyprianos, Ignatios, Babylas, Tiburtios, Cæcilias, Reparatas, Agathas, & ingentem Martyrum turbam, Ecclesiæ fastis jam consignatam, quam primis sæculis in Cœlum transmisit Barbarorum persecutio; hoc pacto religioso cultu affecti sunt a majoribus nostris Basilii, Athanasii, Chrysostomi, Leones, Gregorii, aliique Confessores, quorum memoriam celebratam in Ecclesia tantùm post tria prima sæcula innuisse sufficiat. Eorum verò nomina, quibus Canonizationis honor impendebatur, primùm Diptychis adscribebantur. Erant autem Diptychæ, teste Card. Norisio Differt. Hist. de Synodo V. c. 5. membranacei Codices, sive *Chartacei*, quemadmodum ad Liturgiam Chryf. loquitur Jacobus Goar, quibus nomina Episcoporum, & aliorum Catholicæ Ecclesiæ fidelium erant inscripta. Triplicis porrò fuisse generis notat ex Cypriano, & Auctore Hier. Cœlest. Mabillonius Præf. in Sæcul. V. Benedict. n. 97. *Alia*, inquiens, *erat Diptycha Sanctorum, alia fidelium Defunctorum, alia Vivorum*. Huic itaque Sanctorum Diptychæ adscribebantur nomina illorum, quos Cœlestibus incolis Ecclesia de novo accensebat; deinde templa, vel Oratoria cum altaribus ipsorum memoriæ attolebantur; corpora a prioribus sepulcris elevata sub altari collocabant, aliasque cæremonias observabant majores nostri, in quibus tunc censebatur Canonizatio consistere. Quod quidem adeo solemne, & peculiare fuit particularium Antistitum munus, ut suam in hoc interposuerit authoritatem nemo Pontificum, vel ante Leonem III. qui, Carolo Magno instante, D. Svibertum publicis tabulis inter Sacrificium Missæ adscripsit, ut censet Baronius, & fidem facit oculatus testis Lugerus, primus Monasteriensis Epi-

 sco-

scopus in Epistola, quam scripsit ad Rixfrigidum Episcopum Trajectensem; vel ante Joannem XV. qui in Sanctorum album anno *993*. retulit D. Udalricum Episcopum Augustanum, ut putant Mabillonius, & Papebrochius Dissert. 20. in *Conatu Chronico-Hist. de solemnium Canonizationum initiis, atque progressibus*, queis rimosa Historia, & fabellis assuta est Epistola D. Lugeri, unum Baronianæ assertionis fulcimentum. Post Joannem XV. vero Pontifici, & Archiepiscopis solemnis canonizationis ritus fuit communis usque ad tempora Alexandri III. qui primus Sanctorum Canonizationem, tanquam unam de majoribus causis ad Romanum Pontificem reservavit, abrogato veteri Archiepiscoporum jure, quorum quanta esset diligentia, ac inquisitio ante declarandum martyrem quempiam publica veneratione dignum, expressum habes ab Aug. apud Baronium ad annum 55.

Porrò tanta hæc diligentia haud potuit, quin privatam aliquam in Ecclesiam abusus irreperent nonnulli, & pro Sanctis, eorumque Reliquiis colerentur, qui aut nullam sanctitatis gloriam, aut ad summum certam sibi non poterant vindicare; ne dicam, qui perpetuò spiritibus tartareis erant cruciandi. Non multa in rei hujus confirmationem exempla, & testimonia congerere vacat. Apud Isidorum de *Divinis Officiis* l. 2. c. 15. occurrit Monachos aliquot Martyrum adoranda ossa venditare assuevisse: *Si tamen Martyrum*, ait S. Pater. Constat etiam ab ipso Magni Gregorii ævo Græcos Monachos per nocturni silentii auxilia Romæ juxta Ecclesiam S. Pauli Defunctorum ossa promiscuè eruisse; ideo, ut illa *ad Græciam, tanquam Sanctorum ossa deportarent*: ita ex illorum confessione scribit S. Pontifex Epist. 30. l. 3. Nec recentiora desunt: legi apud Papebrochium tom. 5. potest, quod ipsi vetustissima in Ravennæ urbe contigit, sacra Martyris adoraturo Lipsana ex inscriptione Græcis characteribus adornata; unde totum sanctitatis, & Martyrii argumentum in arida ea ossa derivabat. Legere pariter est apud Mabill. in Itin. Ital., quod, a Pontifice M. indulgentias pro æde quadam *S. Viar* dicata expostulantibus Hispanis, deprehensum ex hac occasione fuit, vere indignum ejus cultus, quem hactenus sibi vindicarat fictus hic non *S. Viar*, sed Præfectus via-

viarum; quemadmodum attentiori examini subjecta inscriptio quædam eruditis manifestavit.

Hinc autem nullis Hæreticorum calumniis R. patere Ecclesia debet, quasi ex admissa Sanctorum, & Reliquiarum veneratione superstitionibus, ac Idolatriæ fovendæ aditum aperuerit: satis enim Orthodoxis esse debet pium, sanctum, atque ab omni superstitione immunem esse Sanctis palam exhibitum cultum. Hoc Catholicorum dogma est, & in hoc errare non posse Ecclesiam tanquam inconcussum adversus Heterodoxos propugnamus. Cæterum si quando contingat error aliquis, ut privata quadam temeritate, seu inscitia, aut etiam, si velis, publico Ecclesiæ facto [quod tamen contingere posse difficillimum putamus] pro Sancto adorandus obtrudatur aliquis, aut dubia sanctitate insignis, aut nulla celebrandus; immo etiam Deum in inferis experiens iratum; nihil inde dedecoris in Ecclesiam recidit: nam cœlestis ea non errandi prærogativa divinitùs Ecclesiæ ad finem sæculi promissa, non est ab omnibus planè erroribus immunitate frui, sed ab erroribus Doctrinæ, aliisque, quorum nullum in casu nostro evenire constat. Quotus enim quisque est, cui non sit compertum hæc ad particularia facta post Apostolorum ætatem jam contingentia referri: atque eam esse Ecclesiæ mentem, ut certo fidei divinæ assensu credendum non esse fateatur aliquas Sanctorum Reliquias, publicæ propositas venerationi, atque Romanorum etiam Pontificum auctoritate, aliorumque Episcoporum suffragiis, & diurnæ aliquando antiquitatis calculo probatas, germana esse illorum Sanctorum Lipsana, quorum titulo colenda proponuntur? Ad Ecclesiæ dignitatem spectat quidem [ut mox de aliis hujusmodi asseremus] pro virili satagere, ne Martyris alicujus ossa fidelium venerationi proponantur absque gravibus de obito pro vera Christi causa Martyrio fundamentis; aut ne alicui Confessori publicus decernatur cultus, nisi de illius beatitate Cœlesti *ex morum virtute, & signorum veritate constet*, ut in Bulla Canonizationis S. Antonii Patavini requirit Gregorius hujus nominis IX. In hoc si erraret Ecclesia, non sine dedecore erraret. Hanc verò cautelam, & diligentiam apud universam Ecclesiam desiderari numquam

 osten-

ostendent Hæretici: norunt enim quo accurrato, diligentíque studio nunc ab Apostolica sede Sanctos Confessores canonizandi ritus peragatur: norunt præterea, quæ diximus, queis olim argumentis ad vitandam omnem in re tanti momenti deceptionem dubiæ Sanctorum vel Martyrum, vel Confessorum Reliquiæ probarentur, quæ inter celeberrimum erat periculum de his per ignem factum, ut constat ex c. 2. Concilii Cæsar-Augustani anno 592. celebrati, quemadmodum & ex l. 2. c. 3. Chronici Cassinensis a Leone Marsicano vulgati: norunt, qua cautela è Romanis Cœmeteriis eruantur Sanctorum Martyrum ossa per eos, quorum cura est sacra hæc religiosè tractare; quam sedulò observatur, num ampullæ vitreæ sanguinea sint, & purpurea crusta obductæ; num palmæ reperiantur propè eorum cadaverum reliquias, quas è cœmeterio asportandas, publicoque honore afficiendas decernunt Romani Antistites; cum hæc duo in primis habenda pro certissimis verarum Reliquiarum signis anno 1668. decreverit, ac judicarit Sacra Romæ Congregatio: norunt tandem alterius rituum Congregationis, Innoc. XI. approbante, decretum anni 1691. circa Officia, Missasque celebrandas de Sanctis, *quorum corpora, aut Reliquiæ insignes* in aliqua Ecclesia *asservantur*. Hæc, inquam, & alia norunt Orthodoxæ professionis hostes, ea sanè, ut ab omni culpabilis, si quis obrepserit, erroris ludibrio Ecclesiæ sint eximendæ.

Jam ad particularia Sanctorum Acta oratio est traducenda: sanè si de illorum reliquiis dubitare, num germanæ sint, licèt fide incolumi, multo magis nefas non erit de eorumdem gestis, an sincera sint, an ulla iisdem subsit falsitas dubium movere: immo etiam si Breviarii ea commendet narratio, liberè de illorum sinceritate metuere, vel etiam omnem iisdem fidem detrahere possumus, quando vel probabilia, vel certa contrà pro veritate suppetant monumenta. Age verò nonnulla in rem hanc proferamus exempla. Prodit Breviarium in Historia vitæ D. Sylvestri Pontificis, Constantinum Imperatorem primò a Lepra mundatum, deinde lustralibus Baptismi aquis fuisse per Sylvestrum Deo genitum: hæc tamen Constantini Acta falsi coarguuntur a doctissimis

viris

viris Cardinali Cusano, Ænea Sylvio, & Perronio, eaque adeo dubia aliis Recentioribus visa sunt, ut quid de eorum sinceritate affirmare non fuerint ausi; cum, teste Melchiore Cano l. 11. de locis Theol. c. 5. *Lepræ Constantinianæ testis gravis, & probatus ex veteribus nemo sit*, & Baptismum collatum Imperatori non Romæ per Sylvestrum, sed Nicomediæ propè ejusdem mortem ab Eusebio, testetur præter Socratem, Sozomenum, & Hieronymum Ambrosius in Orat. ad Theodosii obitum his verbis: *Cui* [Constantino] *licet Baptismi gratia in ultimis constituto, omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei Principibus dare licuerit, magni meriti locum reperit*. Similiter in Vita D. Marcellini Pontificis ad diem 26. Aprilis refert Romanum Breviarium Summum Antistitem *in immani illa Diocletiani Imperatoris persecutione terrore perterritum, Deorum simulacris thus adhibuisse*. Deinde admissi criminis dolore adductum, Synvessam perexisse ad plurimorum Episcoporum Concilium, coram quibus cilicio, lacrimis, & pudore suffusus publicam fecit sceleris confessionem, quin tamen expetitam pœnam reportaret, congregatis Patribus uno ore proferentibus nota ea verba: *Prima sedes a quoquam non judicatur*. Hæc ex Breviario certa; incerta tamen pluribus emunctæ naris Criticis; primùm quòd de veritate lapsus Marcellini ambiguè locutus sit a multis sæculis August. tract. de Unic. Baptism. contra Petilianum c. 16. veritus, ne fuerit Donatistarum commentum: *Lapsum Marcellini*, inquit, *Donatistæ quidem Catholicis objecerunt, sed crimen commissum esse hactenus non probaverunt:* imò, quòd qui ante Petilianum in vivis fuerant ex grege Donatistarum, alto præterierint silentio hoc Pontificis crimen, nunquam profectò illud omisuri, si contigisset, ut valde expediens ad elevandam authoritatem Melchiadis Pontificis, qui Marcellini fuerat Præsbyter. Deinde quia nulla Marcellini lapsus occurrat mentio apud Eusebium, & Theodoretum Historicos accuratos in recensendis omnibus iis, quæ suo tempore in Ecclesia contingebant. Alia hujus Marcellini facinoris suppositionis inditia extant apud Pagium in sua Critica ad annum Christi 302. & Christianum Lupum, qui mercibus Isidori Merca-

toris adſcripſit vulgatum Pontificis ſcelus, etiam poſt ultimam Breviarii, & Martyrologii editionem. Idem alii de Sinveſſana Synodo ferunt ſuppoſitionis judicium, maximè quia fidem ſuperat tantam fidelium multitudinem certatim ad templa Idolorum perrexiſſe, graſſante Diocletiana perſecutione, ut teſtes eſſe poſſent de Sacrificio Pontificis, quod tamen hujus Concilii Acta teſtantur.

Detractam Bartholomæo pellem Hirtaci juſſu, quòd Ephigeniam, nuncupato divinitus voto abſolvere recuſaſſet: ad altare occiſum Matthæum; in Perſide glorioſo ſimul Martyrio & vitam, & fidem illuſtraſſe Simeonem, ac Judam; Calaminæ Apoſtolatus honorem Martyrii corona decoraſſe Thomam Romani Breviarii narratio prodit. Verum *de genere mortis*, qua Bartholomæus affectus, *diverſas eſſe ſententias*, in notis ad Rom. Martyrologium ſcribit Baronius ex Hippolyto, qui capire deorſum pendente memorat cruci affixum. Similiter haud ſatis eſſe exploratum cenſet in Comm. ad 2. 2. D. Thomæ quæſt. 88. art. 11. Cajetanus, non licuiſſe per Matthæum, ut voto ſoluta Iphigenia, Hirtaco Æthiopum Regi Matrimonio copularetur; idem circa obitum ab eodem in Æthiopia martyrium alii recentiores affirmant: cum aliis non violenta morte mortales exuvias poſuiſſe Apoſtolum Matthæum placeat: alii Perſidem, Parthiam alii ſacro hujus ſanguine irrigatam opinentur; alii tandem Hierapoli Syriæ ad immarceſſibilem coronam Barbarorum ferro tranſmiſſum putent, ubi Evangelicam fidem nuntiarat, uti videre eſt apud Aſſemannum Tom. III Biblioth. Orient. P. I. *in Catalogo Codic M. S. S. Orientalium ad Congreg. de Propaganda fide tranſmiſſorum*. Non diverſa de Simeonis, atque Judæ Martyrio dubitandi ſe ſe exhibent momenta, unde in aliam a Breviario perſuaſionem trahamur. Quis ignorat Bedam Retract. in Act. c. 1. ex ſuppoſitis Apoſtolorum Actis hæc deprompta, non immeritò aſſeverare, nimirum ex Cratone, qui Apoſtolorum Diſcipulus nuncupatus, decem *de Geſtis, & Paſſionibus Apoſtolorum* libros, a Gelaſio ad Apocryphorum claſſem relegatos traditur ſcripſiſſe a Pſeudo-Abdia l. 6. Apud Hippolytum verò in libello de duodecim Apoſtolis legitur Thaddæum [Judam ſcilicet] non in urbe Perſidis *Svanir*, *qua*

Si-

Simeon, sed *Berythi consummasse agonem*. Fatendum tamen Historicam Breviarii narrationem Martyrologiis Bedæ ipsius, Usuardi, Adonis &c. consonare. Quoad locum, ubi Thomas impiorum barbarie mortalem cum immortali vita mutavit, incertam rem esse, & quicquam certò affirmari, non nisi divinando posse fatentur emunctæ naris Criticis. Quam diversa de hoc ferantur, consule Anonymum autorem Hist. Eccles. tom. 1. pag. 513. ubi de Thomæ Martirio instituit sermonem. Verùm ad alia id genus pergamus.

Celeberrimus è Divi Mauri Congregatione alumnus P. Bernardus de Montfaucon in vita Athanasii Operum editioni extremæ præfixa, opinatur impactam ab Arianis Athanasio calumniam de stupro illato virgini, ejusque rei gestæ totam historiam fingentis artificium magis, quam verum factum olere, quamvis de hoc fidem exhibeat Breviarium in vita Athanasii, secutum Theodoriti l. 1. c. 30. assertionem, idque tentatum ferat coram Pseudo Synodo Tyri, cujus Patres Ariani, *cognita*, inquit, *fraude, rejecerunt mulieris impudentiam*.

Sic Mariam Magdalenam inter, & Mariam, cui vulgata crimina infame peccatricis comparaverant nomen, haud ullum in Romano Officio constituitur discrimen, cum tamen recentiores multi, ut D. Lovvet, Estius, Launoyus, Casaubonus aliam criminosam, aliam a Magdalo Magdalenam Mariam fuisse haud imprudenter opinentur: sic utrum Catherina Philosophos disceptando confuderit; utrum immanis rotæ objecta fuerit lanienæ: utrum securi percussa ab Angelis tumulata fuerit, an potiùs exul cum Christianorum multis in deserta, & montes Arabiæ profecta, ibi sanctissimè die suos objerit, conjectura non prorsus infirma dubitant aliqui, nihil eos Breviarii narratione immorante: & certè Baronius in notis Martyrologii ad diem 25. Novembris de Catherinæ Historia locutus, disertè affirmat eruditum nullum inficiari posse *in Actis ejus haberi aliqua, quæ corrigantur*. Sic de Jacobi Apostoli in Hispanias; de Areopagitæ Dionysii in Gallias adventu, quis ignorat, quanta vertant inter recentiores dissidia? Adstipuletur licèt verò adventui authoritas Officiorum; nihilo tamen secius religioni sibi non ducunt vel

falsi

falsi coarguere, vel eas habere hujusmodi narrationes, queis certa fides non sit adjungenda viri emunctæ naris, eò quòd non immeritò certa suppositionis indicia vel alibi, vel unde narratio desumpta est, ipsi deprehendant.

P. Armandus Buthilierius institutor, ac primus Monachorum de Trappa Abbas in vulgatis pro litteraria disceptatione, quam cum P. Mabillonio circa Monachorum studia instituit, libris de Monachatu D. Gregorii juxta Breviarium jam *Monachum professi*, hæc habet: *De S. Gregorii M. aliquam res patitur difficultatem, & an Monachus fuerit, ambigi potest*. Quid si ad examen ea revocentur, quæ in particularium locorum Officiis producuntur S. S. Acta? In gestis Martialis, quem Lemovicenses, Bituricenses, Svessionenses, tamquam primum Galliæ Apostolum in Synodis, Breviariis, Martyrologiis jactant certissima, ut ajunt, traditione, invenerunt tamen multi, quò censoriam virgam circa illius Apostolatus persuasionem exercerent, ac justè in dubium revocarent. In adventu Veronicæ ad insulam Zacinthos, ejusque ibidem Evangelii prædicatione iis populis certissima, in Martyrio Ursulæ cum ingenti undecim millium Sociarum comitatu apud Colonienses explorato, in Ordinatione Corentini Episcopi Corisopitensis a Martino, ut in legenda apud Britannos fertur, peracta; non ne dubia, ac spuria obtruduntur? An non liquet multis ante Corentinum annis, fato cessisse inaugurantem expositum Antistitem? An non viri doctissimi haud injuria de Ursulæ narratione ambigunt, & Veronicam omni retro antiquitate usque ad Mariani Scoti Sæculi XI. scriptoris fœminam fuisse haud quaquam exploratum, idque nominis ex Græco Ethym. nil nisi Christi imaginem sonare communi calculo docetur? Præterea quis jactatam olim, & nostris etiam fortè temporibus in quarumdam particularium Ecclesiarum Breviariis, ac Martyrologiis S. S. Acta, & Miracula legens, mox in gravem falsitatis suspicionem non incidat? Et quidem quis credat sibi fidem adhibendam veteri Leoniensium Breviario, dum memorat imprecatam a D. Hervæo corporis exilitatem se illudentibus puerculis, nec non singularem duritiem lapidi, ad quem fortè impegerat? Quis antiquo Parisiensium, dum in S. Gedulphi historia narrat

exa-

exanimem ad Ecclesiæ fores concidisse vulpem, postquam raptam Gallinam restituerat, Gedulpho imperante? Quis tandem Actis omnibus S. Meloris Martyris, Budoci, Paterni, aliorumque, de quibus Britannia, Scotia, Hibernia, Armorica meminerunt, ut videre licèt apud Bollandum c. 3. Præfat. generalis in Vitas Sanctorum. Prætereo multa in Breviariis Monachorum, plurima in Orientalium gentium libris prostantia menda, & maximè in Græcorum Menæis, quæ doctissimis elucubrationibus non ita pridem de Græcia benemeritus Leo Allatius, purganda suscepit. His adde, ut a particularibus ad Romanam Ecclesiam revertamur, quæ de antiquorum Pontificum Sanctionibus a Breviario perhibentur, ut de lege Eucharistiæ sumendæ omnibus Missæ adstantibus per Anacletum edita; de 7. Diaconis, qui Episcopo Evangelicæ prædicationis munere defungenti, interessent, per Evvistum lata; de tempore, atque sacrarum Ordinationum testibus per Zephirinum; de renovando quot annis Chrismate, veteri combusto, per Fabianum; de sacrosupra Martyrum sepulchra celebrando, per Felicem I. promulgata, & alia hujusmodi. Quid? an non etiam si Breviario insertas, rejiciunt eruditi hujus temporis Critici, Sirmondus, Petàvius, Labæus, Lupus, Schelstratius Decretales horum P. P. quæ præfata continent statuta, Epistolas; easque veluti magonizatas, & interpollatas Isidori Mercatoris merces ætatis admodum posterioris habendas monent?

Sed jam dicet aliquis: si certa non sunt publici hujus libri monumenta, & error intercedere potest, ludibrio exponeretur Ecclesia, quæ pro certis incerta adoptavit, & fidelibus etiam suspicienda proposuit: vix superesset unde haurirent Catholici antiquitatis veritatem; unde agnoscerent antiquorum præceptorum vera documenta. Respondeo nihil horum sequi: nam Romanæ Ecclesiæ, & Pontificis non errandi prærogativa juxta Christi promissum sita est in fidei, & morum doctrina, nec non in factis per Apostolorum calamum, aut vocem traditis: in his falli si posset Ecclesia, dedecore suo falleretur. Cæterum in aliis, & ab errore immunem non esse, & nihil inde probri in Ecclesiam derivare apertè fatentur Catholici. Quis autem dicat ad fidei,

vel morum doctrinam spectare supra recensitas leges a Pontificibus, qui Breviario autores sunt, vulgatas esse, nec ne? Quis ad Ecclesiæ integritatem, conservationemque dicat necessarium Hispaniam invisisse Jacobum, Gallias Dionysium, per Veronicam lumine fidei illustratam esse Zacinthum? Quis putet fidem labi, si sanum documentum proponat Ecclesia sub alio, quam veri authoris nomine. Certè, ut obiter dicam, olim non Provinci alia modò, sed ipsa quoque Œcumenica Concilia, ut Sextum Constantinopolitanum III. & Septimum II. Nicænum, ipsique Pontifices Maximi, & præsertim Agathon in sua ad Constantinum cognomine Pogonatum Epistola, quæ perlecta, & approbata fuit in sexta Œcumenica Synodo actione IV. tanquam legitima Patrum monumenta adhibuere libros, quos nunc communiter a genuinis ipsorum Patrum operibus ablegant cordati viri; nec ideo tamen quid probri in Ecclesiam recidisse hactenus Catholici duxerunt. De factis hic agitur, quæ Ecclesiæ jam fundatæ accesserunt, & subinde nullo pacto spectantibus ad fidem, quæ nullo progressu temporis admittit in suis articulis incrementa: tunc quidem in iis, de quibus hic, ludibrio exponeretur aliquo modo Ecclesia, quando diligentiæ pepercisset, ut veritatem rei propositæ, exactas Patrum sententias, vera Autorum nomina, aliaque hujusmodi obtineret. Cæterum si nihil intentatum reliquit, ut veritatem assequeretur, quòd certè præstitum nemo inficias ibit; vel in dubiis, & authorum dissidio incertis ea proposuit, quæ gravi fundamento innixa apertæ falsitatis argui non possunt, ut in colligendis Sanctorum Actis jussu Clem. VIII. se gesserunt viri duo clarissimi Bellarminus, & Baronius, nihil accipit detrimenti, cum labi prudenter nullum sit hominibus piaculum, & in his humana, non divina ope se gerat Ecclesia; unde & Gregorius Magnus l. 1. Dial. c. 8. *Quid miraris quia fallimur? quia homines sumus*. Multò minus hinc fit queri posse Catholicos de sublato veræ antiquitatis inveniendæ modo, certisque habendis Doctorum placitis: cum hæc ea non sint, quæ humanam rationem exigant in obsequium fidei mancipari, sed ingeniis veritatem aliunde investigandi relinquant licentiam, seque cuilibet respui permittant, ubi justis librata ponde-

deribus, seu veritatis specie minori frui deprendantur prae aliis, quae a majoribus argumentis majorem consequuntur veritatem, vel accurato judicio expensa omni veritate destitui agnoscantur: certum est enim nihil de his inconcussum fuisse ab Ecclesia prolatum, sed in re varia, & disceptationibus obnoxia, id tantum pro virili parte editum, cui vel rationum momenta, vel temporum persuasio veritatem conciliabant.

CAPUT XVII.

Prosequitur superius argumentum. Divinarum Litterarum Codices ab impiis, & superstitiosis hominibus corruptos demonstratur. Eidem fato Sanctorum Patrum Scripta fuerunt obnoxia. In Christi, Deiparae, Apostolorum, atque Sanctorum Actis multa, falsa, superstitiosa, inania irrepsisse suadetur. Ecclesiastica omnium saeculorum Judicia de amandandis ab Ecclesiasticorum Codicum albo erroribus, atque obtrusis commentis referuntur. Assignantur Regulae ad discernenda ab Apocryphis germana Sanctorum Acta.

SI multis, quae hactenus in medium calamo haud parco produximus, adiicere majora luberet; unde exploratiùs fieret Religionis nostrae veritatem nequicquam impetere, quicumque in R. Breviario multa, quae novam limam promereantur, reperiri propugnat; facilè paginas impleremus. Monent nos retroacta Ecclesiae Saecula, persuasum majoribus nostris fuisse commentitia, multa ab hominibus, quà zelo quidem, sed non secundum scientiam; quà odio adversus Catholicos percitis, in Ecclesiae libros obtrusa: monent pariter persuasum iisdem fuisse rei Christianae commodis per haec admodum derogari, quemadmodum Celsi, Porphyrii, Juliani arrepta inde contra nos obtrectandi materies, nondum rei memoriam penitus delevit: monent ad extremum nihil Ecclesiae unquam fuisse antiquius, quam decretis suis cavere, ut inania, seu blasphema haec commenta è fidelium coetibus, atque cordibus eliminarentur, utque censoriae subjecta virgae, quae incerta forent, veritati, ac fieri posset, propiùs restituerentur. A divinis Litteris menda non-

nulla, quæ ſuprema auctoritate corrigantur, nedum exulare firmis jam ſupra momentis conſtituimus: hic verò prætereа ſtatuendum, aliquando etiam ex induſtriâ ſacrorum Codicum Autographa corrupta. Non meminero, quibus corruptionum vicibus a Moyſis ætate ad reſtitutam è Babylonico jugo libertatem; nec non ab hoc tempore uſque ad Catholicæ Religionis exordia obnoxius fuerit Hebraicus textus: in confeſſo eſt ſiquidem apud homines eruditiſſimos plura in ſacro Codice mutata, cum ex hominum audacia, tum ex Syriacarum cum Hebræis vocibus permixtione. Non dicam poſt Chriſti adventum Rabbinos ad novæ religioni tenebras inferendas, quæ a pluribus V.T. oraculis palam ſtabiliebatur, auſos violentas in Divinum librum injicere manus: cum tamen hoc crimine Hebræi incuſentur a Iuſtino Martyre *In Dialogo cum Tryphone Judæo*; a Tertulliano l. de habitu muliebri, aliiſque P. P. quemadmodum Joannes Morinus in *Exercitationibus Biblicis*, & Pezronius in Defenſione Antiquitatis temporum reſtitutæ oſtendunt. Non memorabo ſeptuaginta Interpretum verſionem, unde vulgata noſtra, receſſiſſe frequenter ab Originali textu, uti ſæpius animadvertit Hieronymus, & plurimis congeſtis exemplis evincit in ſua Critica Sacra Ludovicus Capellius, atque apertè tuetur Richardus Simonius Hiſt. Critica V. T. l. 1. c. 16. monens Septuaginta non modo aliquid proprio marte interpretando immutaſſe; verum etiam e corrupto textu vertiſſe: *Exemplar Hebræorum, quo ſeptuaginta Interpretes uſi ſunt, nihil nobis præbet documenti, quoniam vel illa tempeſtate undique vitioſum erat*. Memorare ſolum in animo eſt, quid poſt Chriſti ad Cœlos aſcenſum plurium Chriſtianorum audacia hac in re tentarit. Integri ne dum ſæculi lucem viderat Religio noſtra, cum Saturninus, Cerinthus, atque nefarii de Ebionis grege homines, quod blaſphemiis adverſari ſuis apud ſacras Litteras deprehenderant, corrumpere fuerunt aggreſſi. Sæculo II. ejuſdem temeritatis crimine Tatianus, Marcion, Seleucus, Severianus, Valentinus, Ptolomæus, & Gnoſticorum obſcœna colluvies notantur. Manichæos Sæculum III. tanto ſcelere horruit pollutos. IV. Sæculo non defuit in Arii ſectatoribus hujuſmodi facinus. Sæculum V.

Neſto-

Nestorianos idem audentes fuit execratum; & ne remota à nobis Sæcula fusiùs prosequamur, de quibus consulendi antiqui Patres Irenæus, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Theodoretus,& Hieronymus,qui Præf. in quatuor Evang.disertè affirmat sacros libros adulterinam non solum ab Hæreticis, sed a Christianis ipsis manum expertos: *Apud Latinos tot sunt exemplaria, quot Codices: cum unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est*. Ne, inquam, ulteriùs remotas ætates loquar; quò non progressa est ultimis nostris sæculis Lutheranorum, atque Calvinistarum adversus divinas paginas impudentia? Qui ex sacro isto fonte limpidissimas doctrinarum hauriendas scaturigines deprædicabant, ne doctrinis suis venditati ab eorum secta coarguerentur errores, simul quæcumque secum non facerent, aut è cœlesti Codice expungebant; aut aliter invertere haud verebantur. Quantus essem, si omnia Bibliorum loca hoc pacto a Reformatoribus nostris depravata, in animo esset depromere. Cum nuspiam in cœlestibus eloquiis vim justificandi uni fidei adjudicari novisset Lutherus; Capiti tertio Epistolæ ad Romanos *solius* vocem addere non dubitavit. Ad arbitrii libertatem eliminandam Calvinus illud Apostoli 1. ad Cor. c. 15. v. 10. *Sed gratia Dei mecum*, in ea verba flectit; *Gratia quæ mihi aderat:* Illyricus porrò, *quæ mihi adest*. Ab bonorum operum, quæ tollunt è medio, exercitia irrita demonstranda in Bibliis Anglicanis anno 1577. vulgatis,loco illius ad Rom. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam &c.* legitur: *non sunt digna*. Pariter ipsi Anglicani Codices loca, quæ Virginis, quæ Sanctorum frequentatum a Catholicis cultum probant, aliter vertunt; aliter, quæ ad Ecclesiam spectant; adeo ut vix ab eorum fraudibus integer evaserit locus ex iis, quæ ad Controversias nos inter atque illos vertentes, possunt referri.

Nec solùm sacras paginas corrumpere; sed novas commentis, atque deliriis refertas in dies obtrudere fuit Hæreticis solemne, ideo ut vel veris fictitia fidem detraherent, vel per commenta, atque superstiosa patrocinium erroribus suis vindicarent. Sub Philippi Apostoli nomine Evangelium Gnostici circumferebant, Epiphanio Hæresi 26. n. 13: testante,

te. Cainitæ ad absurdæ suæ Hæresis propugnaculum, Evangelium confixerant Judæ adjudicatum, de quo ætati nostræ planè intercepto, Irenæus, Epiphanius, Theodoretus, & Tertullianus de Præscrip. c. 47. memorarunt. Evangelium *Vivens* dictum, seu *Vivum* falsis revelationibus scatens procuderant sibi Manichæi, authoribus Photio, & Beausobrio P. II. Hist. Critic. Manichæorum l. 2. c. 6. Valentiniani *in tantum processerunt audaciæ*, verba sunt Irenæi l. 3. c. 11. *ut ..... veritatis Evangelium in nihilo conveniens Apostolorum Evangeliis* supposuerint: quod idem affirmat Autor *Appendicis* ad lib. de Præscrip. Tertull. observante Grabio Tom. II. *Spicileg. Patrum*. Plura ejusmodi Hæreticæ temeritatis monumenta supersunt; nec arduum foret eà in medium proferre, nisi ex prolixitate tædium Lectoribus metueremus, & nisi in re versaretur oratio, de qua nihil detrimenti Romana Ecclesia suspicari amplius potest: *Romanam* dixi; apud Orientales enim planè nondum abolevit Apocryphorum Codicum etiam in sacris usus. Paralipomenon librum tertium a Romanis sacrarum litterarum albo abrasum, legunt in Sacris conventibus Græci: Cophtis legitur *Didascalia* Apostolis adscripta, atque Canonibus XXXVIII. comprehensa, quorum argumenta vulgavit Jobus Ludulph. Comment. ad Hist. Æthiop. Armenos Epistolam tertiam ad Corinthios tenere, Cotelerio fidem fecit Uscanus Archiepiscopus Armenus, & hujusmodi alia aliis Orientalibus superesse satis habemus compertum.

Simile fatum Sanctorum Patrum scripta non declinarunt. Nobis irascuntur passim Heterodoxi, quasi omnibus Patrum scriptis furtivam manum intulerimus, obtruncando, addendo, quod è re nostra esset. Hæc in Hist. Litteraria Caveus, in pluribus operum suorum locis Rivetus: Hæc in Kirchero devio Joannes Dorscheus, in Confessione Catholica Gerhardus, & alii hujus farinæ homines, ex quibus nonnemo cecinit:

> *Biblia sit princeps cura; secunda Patres*
> *Sed Patres ipsi: nam quos tu Romule castras;*
> *Jure intestatos dicimus esse Patres.*

Quæ quidem ea sunt, ut evincant non ab Hæreticis modò, sed a Catholicis aliquando novercantem manum experta

ta

ta genuina S. S. P. P. effata, quod ultro hominibus religioni nostræ adversantibus, concedimus, ut mox; non verò ut ex Romanæ Ecclesiæ votis, quemadmodum sibi hostes nostri proponunt, id ausum conficiant: Ecquando enim calculum temerario huic ausu addidit suum Ecclesia, cui nihil jucundius unquam contingere, quam ut sinceræ fidei hæc scripta reddantur, est palam testatum? Cæterum variis mutationum procellis Patrum sententias fuisse subactas, est pro certo habendum. *Recognitionum* libros Romano Clementi adjudicatos, Ebionitas novimus corrupisse. In libros *de Ecclesiastica Hierarchia* Areopagitæ Dionysio adscriptos Hæreseos virus Monophositas oggessisse eruditi Critici conveniunt. Rufinum ita Origenis corrupisse sententias, ut quid sibi potius, quam Origeni arriserit, videatur obtrudisse, invictis momentis ostendit V. Cl. Daniel Huetius Episcopus Abricensis in tribus circa Origenis vitam, scripta, &c. exaratis libris. Irenæus hunc abusum ætate sua obtinuisse significat, dum pluribus in locis, ab hoc ut sibi caveat, eum adjurat, qui transcribit: Hilarii textum liquet adulteratum: Augustinum aliter locutum in Erasmi editione; aliter in alia per Lovanienses Doctores concinnata; aliter tandem in alia ad alios M. S.S. codices per Patres Congregationis S. Mauri exarata, non est qui ignoret. Et ne ultra divagemur; postrema nostra sæcula quot dissidia, lamentationes quot non audierunt inter eruditos vel de una Angelici Summa, quam in recentioribus editionibus ab antiquis non uno in loco dissonare deprehendere quisque potest.

Ad alia instituto nostro congrua transeamus. Germanos Sacrorum Codicum, atque Patrum fœtus impetere sat non fuit præpostero aliquorum genio. Christi, Deiparæ, atque Sanctorum præterea gesta novis commentis denigrare fuit sæpius tentatum. Quid de Christo ab ejus infantia ad annum ætatis decimum secundum non prodit omni antiquitati notissimum opus, quod *Evangelium Infantiæ Salvatoris* inscribitur? Profecto in hoc ea leguntur, quæ vix a levium muliercularum credulitate fidem sibi vindicent. Obstetricem Christo nascenti adstasse; hanc lepra laborantem sanitati restitutam; Deiparam advenientibus Magis, fasciam donasse;

&

& hanc flammis impositam, illæsam avolasse; juvenem in mulum transformatum pristinæ a Christo formæ restitutum, & alia hujusmodi quis vel legendo non exsibilet? Quid de Virgine non jactatur in opere, cui titulus: *Maria interrogationes majores, & minores*: nonne adeo impia, obscœna, & blasphemiis referta ibidem memorantur, ut animus nedum legisse, sed & meminisse perhorrescat? Quod ab obstetrice de Mariæ integritate post ipsius puerperium fuerit captum experimentum; quod Josepho, a Deipara nuncupatum Virginitatis votum, innotuerit divinitùs per virgam floridam, eique incubantem columbam, meminit Prot-Evangelium Jacobi, & liber *de Ortu S. Mariæ*: verum hæ narrationes, uti futiles, atque confictæ ad Apocryphas amandantur a Hieronymo, & Gelasio P. M. Plura ineptiarum de Virginis ortu, & vita commenta non desunt in gravissimis authoribus Clemente Alexandrino, Gregorio Nisseno, Epiphanio, Joanne Damasceno, qui ex minus puris fontibus hauserunt, quod scriptis suis hac de re commendarunt, vel ex more gentis avidè colligendi, quidquid vel fabula prodit; vel ex inconsulta pietate Virginem decorandi, quæ tamen veris honoribus satis superque nobilitata, commentitios indignatur. De Apostolis pariter quid non legimus confictum, & in *Historia certaminis Apostolorum*; & in decem libris *de Gestis & Passionibus Apostolorum* a Cratone concinnatis; & in flammis digno opere, cui titulus *Memoria Apostolorum*; & in Historia *De conflictu Petri, & Simeonis Magi* a Pseudo Marcello conscripta; & in aliis tandem Thomæ, Andreæ, Joannis, & Philippi Actis, de quibus passim veteres, & novissime Joannes Albertus Fabricius in Apocryphis N.T. eruditissimè agit, aliorum de illis accurata judicia recensens, atque censuras. Certè, ut ad particularia quædam descendamus, bilem movet ignotus IV. aut V. Sæculi autor, narrans Evangelistæ nomen Marco per ipsum Christum donatum, & ex calceis contritis ipsum Evangelistam Alexandriæ urbem ingredientem, itineris finem conjecisse: *verè nunc iter meum est expeditum*. Injuriosa D. Petri lenitati sunt, quæ de filia hortulani, ejusdem Apostoli precibus subito funere correpta, narrantur in *Actis Petri* Ebionitarum è schola emersis. Fidei planè dis-

dissona habenda est de nuptiis, atque imaginibus adjudicata Evangelistæ Joanni doctrina in Actis, quæ sub ipsius nomine circumferuntur. Hominis alia planè a Christo vexilla sectantis, est factum D.Thomæ,quem dira imprecatum cuidam,alapam sibi impingenti narrant conficta ipsius per Manichæos Acta. Legesis alia hujusmodi in memoratis Apostolorum Actis: nos enim ad Sanctorum gesta vocamur, quæ pariter miram ab impostoribus jacturam passa, omnium suffragiis acclamatur. Et si primorum Antistitum vigilantia nihil reliquerit intentatum, ut præclarissima Martyrum gesta omni fide scriptis exarata posteritati non ad exemplum modo, sed etiam ad sincerum historiæ monumentum donarentur: in re qua argumento nobis est demandata per Romanum Pontificem Clementem I. septem Notariis hæc cura, & imposita Subdiaconis, atque Diaconis lex, ut de Scriptorum veritate diligentissimè investigarent: nihilo tamen secius ea nobis eripuit inimicorum sevities, & in primis excitatus a. Diocletiano, aliisque Imperatoribus adversus Ecclesiasticos libros immanis furor, eo exitu, ut de primis Martyrum Actis vix pauca ad nos legitimis scriptis autographa derivarint. Ultimis hisce temporibus V. Cl. Theodoricus Ruinartius omnem quidem intendit operam, ut Acta Martyrum sincera, selecta, atque ad M. S. S. fidem castigata vulgaret: verum ea ab eruditis fidem omnem extorquere ne dum potuerunt, in hac collectione nactis plura, quæ nova incude egerent. Ad horum classem refertur vita Jacobi Hierosolymitani Episcopi, quam ab Hegesippo descriptam magis ad fabulæ, quam veritatis ingenium accedere autumat Dupinus; Martyrium S. Justini Episcopi, quem mortali vita veneno eductum contendit Papebrochius, non capite obtruncatum, uti Ruinartii Acta; Sancti Saturnini Historia, quam Ruinartius germanam habet; calumniatore non Historico digna censetur a Natali ab Alexandro Hist. Eccl. N.T. Sæculo I. Differt. 15. Idem judicium ferunt Censores de aliis, quæ titulo Notariorum Romanæ Ecclesiæ Acta Martyrum, typis habentur vulgata: cum persuasum sit ipsis è diro illo Diocletiani naufragio Martyrum Acta perfecta, atque numeris omnibus absoluta non enatasse, sed perpaucas dumtaxat tabulas, reliquis omnibus

emendatione dignis. Quid referam ex industria ab Hæreticis vitiatas Martyrum Historias? Pro omnibus audiatur Arnobii l. 1. adversus Gentes testimonium: *Omnia conscribi, aut in aures omnium pervenire non potuerunt gesta gentibus in ignotis, & usum nescientibus litterarum: aut si qua sunt litteris, conscriptionibusque mandata, malevolentia Demonum, quorum cura, & studium est hanc intercipere veritatem, & consilium his hominum, interpolata quadam, & addita, partim mutata atque detracta verbis, syllabis, litteris, ut credentium tardarent fidem, & gestorum corrumperent auctoritatem*. Quid eos memorem, qui Martyrum Catalogo impios homines inseruerunt ut Marcionitæ, Cataphriges, Ephemitæ, Ariani, atque alii id genus impostores, quibus, Reformatos nostros adjicere possumus, quasi idonei ad Martyrium fuissent, quos Ecclesia ad prælium non armavit. Ad hæc quanta mendaciorum seges in vitis hominum, quos non Martyrium, sed intemerata vita ad immortalem patriam transmisit, non irrepsit? Profecto satis eas oculis lustrasse, ut pateat nihil minus, quam germanæ historiæ imaginem ibi delineari. Metaphrastis opus, unde plures sacri Scriptores Sanctorum Acta traduxerunt, historica fide indignum habetur a viris doctis: passim admonet Baronius non pauca spuria, & fabulosa spongia, lituraque digna suam in historiam ex nimia credulitate congessisse Metaphrastem. Male meretur de veritate apud Bellarminum idem autor; & Bailletus Orat. de Vitis S. S. scribit ejus fidem non Catholicis modo, sed Hæreticis ipsis esse suspectam. *Autor iste a nonnullis Hæreticis calumniatoris, & falsarii loco habitus est, ad monstra parienda a natura compositus, & licentior iis omnibus fabulis, quas pro Diis suis Græcia gentilis invexit*. Neque benigniùs excipiunt alii S. S. illustria gesta, quæ Aloysius Lippomanus, Jacobus de Voragine, Petrus de Martyribus, Laurentius Surius, Petrus de Natalibus, quæque D. D. Putel, Marchant, Robin Gallicè anno MIↃCX. Arnaldus Andilliacensis item Gallicè anno CIↃIↃIↃCLXIV. vulgarunt, & alii primi subsellii autores, atque maximè Monachi nonnulli, qui multas Sanctorum vitas consarcinarunt, si audiri meretur Bailletus, ex solo sui cerebri genio, vel veras ad Sanctorum facta supra hominem

eve-

evehenda ita corruperunt, quasi homines audire indignarentur, qui Sancti. Hujusmodi abusus notatur etiam a doctissimo viro Melchiore Cano l. 11. *de Locis Theologicis* c. 6. *Qui autem res humanas a Divis, quorum historias scribendas sumunt, alienas fore censent; hi divos ipsos ne homines quidem fuisse, credere videntur.*

Vidimus Sacras Litteras, Patrum Codices, S. S. Acta, queis tandem canonica oratio conflatur ab impiis, vel vanis, atque superstitiosis hominibus adulterata: nunc adjungenda sunt ea, quæ prodant Conciliis, atque legibus suis Ecclesiam semper adfuisse, ut futelæ istæ, & audacium hominum præstigiæ vel in ortu suo præfocarentur. Lamentabatur ævo suo aniles in Religione fabulas locum invenisse Paulus, & futura prospicienti oculo, etiam posterioribus sæculis inventuras vaticinatus, sedulò cavit, ut a fidelium cœtibus, atque cordibus eliminarentur. Laodicena Synodus c. 59 prohibet alios Psalmos in Ecclesia cantari, alios libros legi, quam qui fuerint, Ecclesiastica autoritate probati. *Non oportet privatos, atque plebejos Psalmos in Ecclesia cantari, neque libros non canonicos legi.* Milevit. II. can. 12. statuit dicendas esse Orationes, Preces, Missas, Præfationes, Commendationes, Manuum impositiones, quæ alicui Concilio fuerint probatæ: *Placuit etiam illud, ut preces, vel orationes, seu missæ, quæ fuerint probata in Concilio, sive præfationes, commendationes, manuum impositiones celebrentur ab omnibus: nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractata, vel composita fuerint in Synodo, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum.* Innoc. hujus nominis I. in Epist. ad Exuperium Tholosanum Antistitem anno 405. c. 7. sacrorum librorum seriem in primis exhibet, tum ab Ecclesia separat Acta Matthiæ, Acta Jacobi, Petri, Joannis &c. Gelasius in Romano Concilio septuaginta Episcoporum; *Gesta*, inquit, *Sanctorum Martyrum secundum antiquam consuetudinem in Romana Ecclesia non leguntur, quia eorum, qui conscripserunt, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus seu Idiotis superflua, & minus aptè, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur, sicut cujusdam Quirici, & Julitæ; sicut Georgii, aliorumque hujusmodi passiones, quæ ab Hæreticis perhibentur composita.* Alia præterea scripta in hoc Concilio inter Apocry-

pha recensenda decernit idem Pontifex, cujus verba non vacat ulterius proferre. Canon 63. Synodi Quin-Sextæ in Trullo anno 692. congregatæ legi vetat falsas, & confictas Martyrum historias; immo flammis ultricibus eas jubet consignari. *Quæ a veritatis hostibus falsò confictæ sunt Martyrum historiæ, ut Dei Martyres ignominia afficerent, & qui eas audituri essent, ad infidelitatem deducerent, in Ecclesia non publicari jubemus, sed eas igni tradi*. Hadrianus I. ad Christi vices in terris gerendas anno 772. erectus, in Epist. ad Carolum M. Galliarum Regem scribit Patrum vitas in Ecclesia non legi, nisi sincerorum testium suffragia accesserint. Sed quid ultra Ecclesiasticis congerendis decretis immoramur? Nonne illa fuit Tridentinorum Patrum mens, ut Catechismus, Breviaria, Missalia novæ limæ subacta, mendis, & assutis laciniis castigarentur? En ipsius verba ex sess. 25. transcripta: *Sacrosancta Synodus ...... delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis Censuris, ac libris vel suspectis, vel perniciosis, quid facto opus est considerarent, atque ad ipsam Sanctam Synodum referrent. Audiens nunc ob librorum varietatem non posse distincte, & commode a S. Synodo judicari, præcipit ut quidquid ab iis gestum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur ...... idemque de Catechismo, Missali; & Breviario fieri mandat*. Hæc Tridentinæ Synodi auspicia, & vota animis erexerunt plura Christiani orbis Regna, & Provincias plures, ut Ecclesiasticorum Codicum reformationem aggrederentur. Quamobrem anno 1528. in Synodo Senonensi de Sacris libris emendandis edita fuit lex: *Diœcesani statim post dissolutum præsens Concilium diligenter visitabunt Breviaria, Missalia, Antiphonalia, & Sanctorum Legendas, & quæ deprehenderint in illis superflua, aut non satis pro Ecclesiæ dignitate convenientia, ipsi continuò tollent*. A Synodo Coloniensi anni 1536. idem Statutum promanavit: *Videbimur operæ pretium futurum, si Missalia perinde, atque Breviaria perviderı curemus; ut amputatis tantum superfluis, & quæ superstitiosiùs inventa videri possunt, ea tantum, quæ dignitati Ecclesiæ, & priscis institutis consentanea fuerint, relinquantur*. Porrò istiusmodi sacros emendandi libros pius fervor enituit insuper in aliis præclarissimis Catholici orbis Diœcesibus tam ante, quam post Tridentinum. Nonne, ut alios præ-

teream libros, a Breviario sustulerunt quidquid commentitium, aut superstitiosum potuerat irrepsisse Lateranensis, & Romana S. Petri Ecclesia? Nonne idem præstiterunt celeberrimæ duæ Hispaniarum Diœceses Toletana, & Salmaticensis? Simili studio profectò non pepercit Mediolanensis, non pepercit iterum Romana in editione Breviarii, quæ Urbani VIII. & Clementis VIII. auctoritate, & jussu recognita prodiit. Operam impendit eamdem Parisiensis Ecclesia in Breviario sibi proprio a mendis castigando, rem duobus Archiepiscopis promoventibus, ab anno 1670., ad annum 1675. quo emendatio prima lucem aspexit; deinde sub alio Archiepiscopo Cardinali de Noailles ad novam limam revocatum, castigatius fuit anno 1697. typis consignatum. In ejusdem operis partem venit Ecclesia Senonensis, cujus Breviarii ultimò emendati, anno scilicet 1702, exemplar vix ulli non probatur.

Quæ cum ita sint; mirari amplius subire non debet emunctæ naris Criticos diligentiam exercere suam in sacris libris, de quorum veritate infallibiles Ecclesiæ definitiones dubium movere non vetant; nec ulla Religione tangi, si fidem iis detrahant, ubi certa, vel gravia suppositionis, corruptionis, aut superstitionis momenta deprehendant. Cum enim pro certo habendum doceat omnium sæculorum experientia ab his fraudibus immunes haud esse Ecclesiasticos Codices; cumque obtrusas fraudes reserari, corrigi, & a publicis, privatisque rebus amandari pro virili studuerit, & studeat temporibus quoque nostris Ecclesia; quemadmodum relata decreta suadent: quis non intelligat citiùs Ecclesiæ vocibus audire, atque de illa optimè, eximieque mereri homines istos, dum ægre ferunt pro veritate fabulas ingeri, pro germanis autorum scriptis spuria obtrudi, & pro sinceris monumentis commentitia fidelium auribus in templis, publicisque supplicationibus inculcari; ideoque, maturo adhibito examine, atque exantlatis pro veritate consequenda laboribus, monent, quid in Ecclesiasticis libris velut adulterinum, quid tamquam superstitiosum, quid uti futile sit a germanis, piis, gravibusque operibus, atque narrationibus secernendum, nec non planè a populorum animis obliterandum; tum ne ab impuris,

ris, atque suspectis fontibus exempla, & documenta fideles hauriant; cum ne pravi homines [quod utinam sæpius non contigisset] pro paucis commentis oggerant in Ecclesiam convitia; magistram vocitent errorum, uti olim Græciam vetus Parœmia; *Quidquid Græcia mendax audet in historiis*. Hinc primi nominis autores nullum, aut sibi, aut Religioni creare periculum, immo admodum commodi affere opinantur, si de Breviarii autoritate sermonem instituentes, apertè profiteantur Romani Breviarii effata efficere non posse, ut fabulæ veritatem induant. Hi Natalis ab Alex. Dissert. 20. Sæc. III. sunt sensus: *Censeri non debent explorata, atque inconcussæ veritatis quæcumque Breviario sunt inserta, quod pluribus exemplis probare facile esset*. Consonat Tillemontius not. 9. *in Jes. Christ.* hæc scribens: *Ecclesia nobis aliquando integrum facit ab ejus* [Officii] *verbis recedere, animumque sectari, atque in rebus Historicis iis assentiri, quæ ad leges Historicas exacta continent veritatem*. Bailletus in serm. art. 17. confidenter pronuntiat Breviaria mendis oppleta esse, totque aspergi Romanum ipsum, quot aliud quodcumque. Vix parciùs loquuntur Richardus Simonius, Joannes, Launojus, Thierius, Bernardus Lamy, Dupinus, aliique præstantissimi Critici. Etsi verò hæc ita se habeant; non proinde flocci facienda Breviariorum, & hujusmodi Codicum auctoritas. Operæ quidem pretium est diligentem ponere curam, ut apertum fiat, num errorum illi planè sint expertes; utque deprehensi errores emendentur: donec autem id aut certò, aut gravibus momentis non constat, sua Ecclesiasticis libris debetur reverentia; probabili saltem fide non sunt spoliandi, recepti ab immemorabili temporis decursu Ecclesiastici Codices, queis ad Deum laudandum non minus, quam ad Religiosos veterum sensus, atque heroica Sanctorum facta, unde mores nostri instituantur, eruenda nobis pia mater proponit.

Non paullò me profecturum sperarem; si, indicatis abusibus, queis Ecclesiastici libri fuerunt, suntque etiam num è malevolorum, aut impudentium temeritate obnoxii, adminiculis quibusdam juvarem Lectores; unde cavere sibi possint a falsis pro veris adoptandis; & noverint a germanis spuria secernere. At vero cum voluminibus aptam materiam

præ-

præberet regulas assignare omnes, quæ ad sinceram Scripturarum lectionem, ad genuinos Patrum textus, ad vera Sanctorum Acta dignoscenda solent ab autoribus proponi: ideo ommissis, quæ ad Scripturam spectant, & ad Patres; de Sanctorum præcipuè Actis, utpote instituto nostro magis congruis, nonnulla delibabo. Vacillantis itaque fidei habeto *Martyrum Acta, quæ insolitis cruciatibus ferunt ab hujus usura lucis ereptos Christiani nominis professores; quæque sæpius in satellites, in Judices orationibus, alloquiisque eosdem invexisse produnt*. Certè prudentibus, & accuratis rerum existimatoribus adeò Etnicorum moribus, atque statutis; nec non leni Christianorum spiritui hæc adversari visa sunt, ut suspectæ ipsis proinde fuerint tabulæ quæcumque hujusmodi complectuntur, aut ad summum a Novaturientibus non minimùm easdem vitiatas judicarint. Sic Acta Theclæ, quæ nervis omnibus a suspicione vindicare conatur non minus in Annalibus ad annum 47. quam in notis ad diem 23. Septembris Baronius, maximè a verò dissonantia censent alii Recentiores, quòd ea, & sic diversa mortis instrumenta in Sanctam Virginem a Tyrannis referant armata, ut fidem superet ab una muliercula tandiù se passos defatigari mundi potentes. Sic num exquisitum illud machinæ dentatæ tormentum, cui lacerandam Catherinam objecit Maximinus, unquam in crudelis hujus Imperatoris animum venerit, adeoque num sincera de Virginis istius Martyrio extent Acta, dubium alii movent, etiam præter aliud non leve suppositionis argumentum in ipsis deprehensum, quod scilicet ab anno 312., cum perpessa fertur Sanctissima Virgo, altum fuerit de tali cruciamento silentium usque ad finem sæculi XII. quo sub Alexii Comnenii Imperio floruit Euthymius Zygabenus autor omnium primus, qui hæc mira de hac Virgine in Psal. 44. exararit. Pariter Acta Martyris Victoris Massiliensis ea cruciamenta præseferunt, quibus ipsum M. S. Abbatiæ Parisiensis S. Victoris autoritas ægre admodum apud non leves ad credendum fidem conciliaret. De S. Hermiæ Martyrio differens Tillemontius, fidenter pronuntiat: *Magnum tormentorum numerum, e quibus divina semper virtute convalescit S. Hermias, recentiorum Græcorum credulitatem redolere:*

lere: ut ut Græcorum Menologio planè Romani Martyrologii Acta consonent. Quod est ad Oratiunculas, colloquia, & allocutiones, quibus referta occurrunt Martyrum Acta, satis exinde colligi non esse inter Archetypa recensenda, docent Tillemontius, Bailletus, Amort, aliique accurati Censores, immo ad hoc caput, tanquam ad Lydium lapidem esse confugiendum, ut certa ab incertis distinguantur, autores iidem sunt. Eccui enim persuasum haud erit non minus a primorum fidelium simplicitate oratiunculas ad Oratoriæ artis præscripta concinnatas, quam a Tyrannorum furore quam maximè abhorrere blanda, aut longa colloquia, & magna subinde promissa Christianis facta, ut thus adolerent Idolis? Hinc Martyris Agathæ, cujus solemnia apud Latinos perinde ac Græcos ad diem quintam Februarii recoluntur, gesta in Autographorum suspicionem vocantur; etsi de productis alloquiis mentio habeatur non modo apud Metaphrastem, Surium, Lippomanum, sed etiam in antiquissimis Ecclesiarum Codicibus, quos Sanctorialia vocabant. Hinc Firmini Ambianensis Episcopi gesta, de quibus antiqua Martyrologia, ad diem 18. Augusti, & Romanum ad septimum Calendas Octobris, suspicione haud carere tradit in Tabulis Criticis 25. Septemb. Bailletus; & non nisi mendosas esse aut vitiatas Martyrii D. Nestoris, cujus diem solemnem octava die Octobris Latini, vigesima septima verò ejusdem mensis agunt Græci, tabulas alii opinantur, quòd promissis alliciatur strenuus fidei pugil ad ostiam Idolis immolandam.

Rursus: *Ne sincera tibi sit fides Actorum, quæ insolita referunt prodigia, seu Anacronismos complectuntur, aut ex Imperatorum Trajani, Antonini, & M. Aurelii edictis passos memorant aliquos Dei Confessores*. Non est in dubium revocandum se se mirabilem in Sanctis suis exhibere Deum, seque hujusmodi exhibuisse cum primùm in priscis Evangelicæ legis professoribus, dum sanguine suo ipsius veritatem tutabantur, dumque novæ legis sanctitas prodigiis confirmari exigebat; at verò passim felici primæ Ecclesiæ ætate divinitùs ad fidei confirmationem operatis portentis, ita prisci fideles assueverant, ut nullam in admirationem ab iis raperentur, immo, quod rebus obviis contingit, neque haberent digna, ut Ecclesiæ fastis commendaren-

rentur, quoties Deus ipse per Confessores suos, in tormentorum agone versantes ea operabatur, rati publicis tabulis id solùm tradendum, quod singulari Martyrum constantiæ præconio esset, & aliis exemplo, ne in fidem, & fidelium vitam conspirantibus tyrannis cederent. Quamobrem suppositionem redolere Acta Martyrum, quæ multa, eaque insolita complectuntur prodigia, censent Neoterici multi; non quòd hujusmodi plura vetustior non viderit ætas, sed quod tabulis ea præferant consignata, quæ consignare ab eorum sæculorum genio, & moribus erat alienum.

Anacronismis laborant, adeoque plena sibi non constant sinceritate Martyrum gesta, quoties aliquibus Imperatoribus, aut Consulibus passos ferunt Martyres, qui sanguinem pro Christo effuderunt, iis vel planè hac dignitate defunctis, vel eam nondum consecutis; sive quoties è particulari aliqua persecutione tormentis memorant addictos in ea Provincia, cum nondum Imperatorium edictum fuerat ibi vulgatum, aut in qua numquam crudelis lex fuerat executioni mandata. Eadem afficiuntur notæ, de quibus agimus, monumenta, quæ aliquos exhibent sub Decio, ac Valeriano Martyrii palmam consecutos. Septima enim, vel, ut Sulpicius Severus opinatur, Octava in Christianos a Decio excitata persecutio, alia planè apud Historicos est ab illa, qua Valerianus anno circiter quarto Imperii sui adversùs Idolorum contemtores desæviit; & prodit Imperatorum Romanorum Catalogus numquam simul Romano diademate Decium, ac Valerianum redimitos: anno siquidem Christi 249. & Urb. cond. 1002. ad imperii fastigium acclamatus fuit Decius ex inferiore ortus Pannonia, cui jura imperii biennio cum sex mensibus moderato, successit Gallus, & Volusianus; his post quatuor menses supra biennium a suorum feritate interfectis datus successor Æmilianus, qui vel morbo, vel ferro è vivis raptus, locum ad imperii splendorem tandem anno Christi 254. fecit Valeriano, sub quo anno Imperii, uti dicebamus, quarto severissima rursus in Christianos edicta eruperunt: quamobrem octo annorum decursu a Deciana persecutione distare bellum a Valeriano, & filio Gallieno in Christi fidem susceptum necesse est; ideoque temporum errore insper-

gi memorias, quæ unius, ejuſdemque Martyris fata Decii, ac Valeriani furori perhibent deberi. Huc referendæ quoque ſunt Martyrum Actis inſertæ voces, quæ pluribus annis, aut ſæculis obtinuerunt, poſtquam victores è Tyrannorum barbarie ad immarceſſibilem coronam advolaſſe feruntur Chriſti Athletæ. Hujuſmodi ſuſpicionem redolent voces & *Trinitatis*, *Hypoſtaſis*, *Conſubſtantialis*, quæ Sæculo tantum IV. ad tergiverſantium Hæreticorum cohibendam licentiam, aut non multò ante fuerunt a majoribus noſtris uſurpatæ; & *Papæ* Romanum Pontificem deſignantis, quæ Romanæ urbis Præſuli ſolùm poſt Gregorii VII. ætate ipſius lege fuit peculiaris; & *Epiſcopi Epiſcoporum*, aut *V. Sanctitatis* eidem Petri ſucceſſori tributæ, quam Sæculo dumtaxat V. invaluiſſe monet Tillemontius tom. 4 annot. in S. Sebaſt. cum liqueat primis ſæculis, & Papæ, & Epiſcopi nomine ſimplices Sacerdotes donatos, uti videre eſt in Actis Frontonis Parochi Malenſis, queis *Papa* vocatur Fronto, & apud Chryſoſt. Hom. 1. in Epiſt. ad Philip. ac Hieron. in Epiſt. ad *Titum*, quorum primus ait primis Eccleſiæ ſæculis utrumque, Præsbyteri, ſcilicet ac Epiſcopi *vocabulum adhuc fuiſſe commune*, alter vero: *Idem ergo eſt Presbyter, qui & Epiſcopus*. Et certè paſſim apud antiquos Epiſcoporum voce legimus decorari Monaſteriorum Abbates, & Evangelicæ legis præcones, quemadmodum Martyrologia Notkeri, & Adonis conſulentibus erit exploratum. Quamobrem non ſolius R. Antiſtitis decorus titulus erat titulus Papæ, & Epiſcoporum Epiſcopi nomine poterant hoc pacto meri Epiſcopi deſignari.

Cum falſitatis argumentum, aut gravem certè de ipſorum veritate ſuſpicionem ingerere aſſerimus Acta Martyrum, quæ Trajani, Antonini, & M. Aurelii Imperatorum præſeferunt edicta, non inficiamur Chriſtianorum plures, his Romanum ſceptrum gerentibus, in fidei odium ad necem petitos. Quis neſciat, Trajano rerum potiente, Martyres Eccleſiæ datos & Clementem R. P. & Ignatium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum, & Simeonem Hieroſolymorum Epiſcopum annos natum 120. & Oneſimum Pauli Diſcipulum Epheſiorum Antiſtitem, & Barſimæum Edeſſæ Præſulem, nec non quinque Virgines Antiochiæ flammis combuſtas, alioſque plurimos,

in

in Asia præsertim, qui Arii Antonini Proconsulis, Christianos plusquam Scythica crudulitate persequentis, tyrannidem deterruerunt non minus, quam defatigarunt? Quem pariter lateat, Imperantibus Antonino Pio, & M. Aurelio, plures terris Martyrio ereptos cœlitum numerum auxisse? Nisi sub his passos Ecclesiæ fasti memorarent Justinum, Polycarpum, Telesphorum, Pium, & alios innumeros, quos cæcus populi furor, & Præsidum rabies Martyrii palma decoravit: nonne Justini Martyris, Philosopho verè dignum opus, Apologeticum I. Tertulliani, ac Eusebii Cæsariensis in Proemio Hist. Eccl. l. 5. testimonia satis superque forent ad suadendum eò temporis orbem Christianorum sanguine fuisse cruentatum? At verò eccur in suspicionem vocantur Acta Martyrum, quæ horum Imperatorum præseferunt edicta? dicam: in caussa est non Martyrium ipsum, neque Martyrii tempus; sed in tabulis expressa *edicti* vox, qua denuntiatur apertè ab his Imperatoribus de Christianorum cæde profluxisse edictum. Enimverò adhuc sub judice lis est, an quid hujusmodi a Trajano adversus Evangelicæ legis professores emanarit. A nefastis edictis planè temperasse Trajanum pro certo statuunt Odericus Raynaldus in Comp. Annal. Baron. ad annum Christi 100. n. 8. Tillemontius tom. 2. annot. 5. in *Persec. Trajani*, & alii recentiores: *Trajanus, qui post Nervam imperium tenuit, nullis nefastis edictis pacem Ecclesiæ turbavit*. Fateor momenta non infirma huic sententiæ patrocinari; sed fatendum simul adversus eamdem grave facessere negotium tot Martyres, quos non urbium Præsides, at ipse Trajanus in Armenia, Antiochiæ, alibique morti addixit; & in primis illud anno Christi 112. uti Pagius, vel 104. uti Baronius, vel tandem 102., ut alii opinantur Trajani ad Plinium Bythiniæ Proconsulem rescriptum, quo ipsi mandat Christianos inquirendos non esse; si deferrentur, puniendos; contra quam iniquissimam sententiam excandescens c. 20. libri Apologetici Tertullianus ita insurgit: *O sententiam necessitate confusam! negat inquirendos ut innocentes, & mandat puniendos ut nocentes. Parcit, & sævit, dissimulat, & animadvertit. Quid te ipsum censura circumvenis? Si damnas, cur non inquiris? si non inquiris, cur non & absolvis?* Porro gravia

 qui-

quidem hæc sunt adversus eos, qui contendunt nullis edictis a Trajano persecutione lacessitam Ecclesiam Dei, uti dicebam, ea tamen, quæ non contemnendo responso, quod non est hujus loci afferre, possunt dissolvi, adeoque & inferri non satis constare, an germanæ haberi debeant tabulæ, quibus hæc *Edictorum* contra fideles sub Trajano vox legitur inserta. Certior autem res est nulla id genus fuisse per Antoninum cognomento Pium sancita. Disertè c. 5. l. Apologetici hoc perhibet Tertullianus; perhibent & alii antiquiores; immo adeo in Christianos nullam edixit legem, ut decimum quintum imperans potiùs emiserit decretum, ne deinceps in Evangelicos homines Præfecti, aliique Magistratus desevirent eò, quòd Christianorum sanguini sæpius ex privata rabie effuso, acceptas referret Imperator horrendas clades, quæ per illud tempus Occidentem, æque ac Orientem funestarunt. Simile decretum Imperii anno 2. vel 4 in gratiam Christianorum vulgavit M. Aurelius, Eusebio Hist. Eccl. l. 4. c. 13. referente. *Porro de his hominibus plurimi Provinciarum Rectores Divo Patri nostro scripserunt, quibus ille rescripsit, ejusmodi homines nulla molestia afficiendos esse, nisi forte aliquid contra statum Romani Imperii moliri videantur*: nec toto ipsius imperii decursu publicam ullam legem in Christianos constitutam tradit l. c. idem Tertullianus, & opinantur in Compend. Annal. Baron. ad annum 164 Odericus Raynaldus, Tillemontius tom. 2. & 3. Hermant Hist. Concil. tom. 1. c. 38. Quæ vero, ipso imperante, incubuit Christianis tempestas; fertur aut jussu Lucii Veri, quem Aurelius acciverat imperii consortem, suborta, inscio planè Marco, a quorum suavissimis moribus alienum erat cædibus pugnare; aut si qua, ipso conscio, instituta fuit in novæ Religionis sectatores persecutio, quod suadere videntur certamina Martyrum Viennensium, & Lugdunensium in Epistola ad Ecclesias Asiæ, & Phrigiæ data; nec non Metaphrastis ad diem 14 Maii, & Surii ad eumdem diem assertiones præter testimonia alia multa, ea profluxit a privato, non publico ullo edicto, quemadmodum in aliorum Imperatorum persecutionibus contigit. Hæc animadvertit Tillemontius tom. 2. annot. 13. in S. Justin. qui Aurelii Imperii au-

annò quarto conscriptarum Apologiarum veritatem sanguine suo consignavit, & cum aliis animadvertunt pariter modò laudati Scriptores, ubi de Aurelii rescriptis meminerunt.

Circa alia Sanctorum Acta, qui etiam dies extremos Martyrio non objerunt, sincera, aut supposita dijudicanda, hæc præ oculis habeto: *Non continuò alicujus sanctitatem exploratam esse, quòd apud aliquas gentes ipse tanquam Sanctus colatur. Similiter certam sibi fidem non promereri in Sanctorum Actis productum factum eo, quia potuerit contingere, aut a nonnullis Scriptoribus afferatur; quemadmodum uti falsum explodendum non esse, quia aliquos nactum sit impugnatores; aut multi de illo siluerint*. Si privatæ alicujus nationis de Sancti cujuspiam beatitate sensus foret huic Cœlitum numero verè adjungendo, quot impios, quot a vera Religione devios, & in Inferis perpetuò cruciatos non haberemus, in quos cultus noster exerceretur? Execranda Dioscori, Nestorii, Acacii, Jacobi Syri, Eutychetis, aliorumque nomina Orientem penè totum in sui venerationem traxisse quis ignorat? Notæ sunt Orientalium Ecclesiarum, quæ Diptychis tanquam sancti Acacii, a quo fuerant seductæ, nomen inseruerant, cum Ecclesia Romana lites, eò deductæ, ut Euphemius Constantinopolitanus Episcopus exauctorari meruerit, quòd infaustum hujus Hæretici nomen publicis tabulis eradere detrectaret. Adhuc in Cophtorum Liturgiis nefarios Severum, & Dioscorum inter Sanctos recenseri, atque invocari tam certum est, quam quod maximè: *Nunc, Domine*, hæc habet Cophtus celebrans, *ex præcepto Filii tui unigeniti communicamus memoriæ Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio, Patrumque nostrorum, Sanctorum Patriarcharum ..... Evangelistæ Marci Apostoli, & Martyris*, Patriarchæ S. Severi, & Doctoris nostri Dioscori, *S. Joan. Chrysostomi, S. Athanasii &c.* Nec alia indigna portenta horrescens miratus est Occidens in religioso cultu, hominibus delato, qui tartareis spiritibus vexabantur. Ut aliis parcam: qua in veneratione apud suos non habentur Joannes Hus, & Hieronymus de Praga? Certè iis titulis decoratur in Historiæ Bohemico-Ecclesiasticæ monumentis anno MDLVIII. vulgatis Norimbergæ Joannes Hus, queis majores Evangelicæ legis Heroes vix a nostris decorantur. Qua san-

ſanctitate illuſtris apud ipſius errorum ſectatores non colitur Lutherus? Certè paſſim magis ex intemerata vita diſtinctis cœlitibus in horum plagis accenſetur; glorioſis adeo præconiis afficitur, ut ſtomachum moveant, & bilem. Legatur pro multis Elias Vejelius, qui fronti operis ſui hanc *de Hiſtoria, & neceſſitate Reformationis Evangelicæ per B. Lutherum inſtauratæ*, inſcriptionem apponere non dubitavit. Verum ne in nationum extra veræ fidei portum aberrantium ſenſu immoremur. Quantum etiam particularis in Catholico orbe gentis de alicujus ſanctitate ſenſus a vero poſſit abeſſe, ac ſæpiùs abſit, declarant doctiſſimi viri, atque in primis Concilia, & Pontifices Maximi, qui ſæpius interceſſerunt oblato in aliquibus locis Sanctorum quorumdam memoriæ cultui, quòd incertum planè eſſet, an talem venerationem promererentur; certum aliquando eſſe ipſa indignos. Concilium Carthaginenſe V. can. 14. Epiſcopis injungit, ut altaria evertant, quæ paſſim per agros, & vias memoriæ Martyrum conſtituta occurrunt, aut ſaltem pro virili curent, ne populi illa loca frequentent, ſuperſtitionibus devincti; & rationem ſubdit, quia *quæ per ſomnia, & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum, ubicumque conſtituuntur altaria, omni modo reprobantur*. Noverat Anglorum Apoſtolus Auguſtinus meram gentium perſuaſionem non eſſe veræ alicujus ſanctitati adſtruendæ: ideoque inter plures interrogationes, de quibus M. Gregorium conſuluit, nona eſt de quodam Sixto, cujus ſanctitatem ab Anglis, publico proſecutam cultu, non ſatis ſibi notam dixit, cui reſpondet Gregorius, ipſius in rem hanc deprædicans prudentiam, & injungit, *ut locus, in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obſtruatur, nec permittatur populus incertum venerari* l. 12. Ep. 31. Quod ſi nunc temporis univerſa Eccleſia plurimos recipiat Sanctos, quos olim particulares tantùm Eccleſiæ Sanctorum ſuorum albo adſcripſerant: non inde tamen conficitur, certam fuiſſe ipſorum beatitatem cœleſtem, quòd privatis nationibus profiteretur; alioquin particularibus Epiſcopis, Synodis, populorum ſuffragiis, unde Sanctorum Canonizatio antiquitùs profluebat, tribuendum facilè eſſet aut inconcuſſas fidei veritates ſtatuere, cujuſmodi a pluribus habetur rite

per-

peracta Canonizatio, aut saltem aliquod in Ecclesiam inducere, de quo suspicari impietatem saperet, atque Hæresis inferret suspicionem. Quamobrem alia de causà particulari Ecclesiarum Catalogo insertis Sanctorum nominibus, & ab universa modò Ecclesia receptis, improbitatem sapit cultum denegare, atque de ipsorum certa gloria dubium movere, nimirum ex ipsius Catholicæ Ecclesiæ consensu, & approbatione, quæ accessit, vel dum per Eusebium, Bedam, Wandalbertum, Usuardum, Adonem, Notkerum collectos particularium locorum Sanctos ita adoptavit, ut omnibus fidelibus propositam voluerit ipsius beatitudinem; vel dum particularibus decretis enixa est, ut alicujus sanctitas a toto Catholico orbe agnosceretur, ut præ aliis contigit in Joanne Chrysostomo, cujus memoriam Romana venerabatur Ecclesia; contra verò urgentibus Theophilo Patriarcha, & Arcadio Imperatore, diris sanctissimum virum Alexandrina Ecclesia devovebat unà cum Episcopis Ægypti, Orientis, Bosphoris, & Thraciæ, quorum communione Occidentales Episcopi abstinuerunt, donec sanctissimi illius Doctoris nomen in publicas tabulas ab iis Ecclesiis tandem relatum audierunt.

In Heroum religionis nostræ Historiis conscribendis multorum licentia eò pervenit, ut gloriosissimis hominibus non modò quod verum laudi dare, sed etiam quidquid potuerit mirabile, atque commendandum ab ipsis operari, reipsa peractum affirmare non dubitarit. In miraculis adstruendis id libertatis multi sibi pariter vindicarunt, rati religionis esse divino operi profectum adjudicare, quidquid potuit divinitus contingere. At verò utrumque hoc Scriptorum genus de veritate juxta ac de Ecclesia, & Divis ipsis malè meretur, vel tandem affectui suo nimis indulgentes, vel falsa pietate adducti posteris tales Divos delinearint, quales esse potuerunt; atque divinæ Omnipotentiæ specialia portenta nobis transmiserint, quæ genio suo arridebant. Contingentibus nullam veritatem necessariam inesse Logici tradunt; & pessimè ratiotinari, qui factum aliquod ideo mere inferret, quod fieri potuisse non repugnabat, ipsorum documentum est. Sanè fieri potest sitos in Articum, Antarticumque polum no-

nobis adhuc incognitas regiones lignis noſtris adiri; numquid propterea licebit ulli has per noſtros jam cognitas affirmare? Fieri poteſt quoſdam ex barbaris Regibus, ad quos Apoſtolici viri pergunt, Chriſti vexillis nomen dare: num idcircò licebit eos Evangelii aſſeclas jactare? Non indignamur itaque mirabiles nobis exhiberi Sanctos, ſi, quales eſſe voluerunt, exhibeantur: iraſcimur quidem eos proponi, qui eſſe potuerunt, non voluerunt. Similiter non de Eccleſiaſticis Scriptoribus conquerimur, qui miraculorum majeſtate fidei noſtræ autoritatem conciliant, ſed qui ſuſpectis, & falſis ipſius veritatem obſcurant potius, quam illuſtrant: Hac in re judicio opus, ne in errorem trahamur Divorum geſta percurrentes, & divina miracula lectitantes: non enim prudentis eſt in hujuſmodi hiſtoriis factum omne pro certo excipere; & quælibet vulgata miracula probare ſimplicitatis eſt, nulla impietatis. Ratio nos docet hiſce in rebus præter ipſius facti, aut miraculi contingentiam eſſe ad examen revocanda indicia, & circumſtantias aliquot veritatis plerumque comites, aut inimicas: his juſta trutina libratis, licet fidem narrationi vel addere; ſi eæ ſint, quæ rarò falſitatem habeant adjunctam; vel detrahere, aut certè ſuſpicari, ubi ejus rationis illæ exiſtant, quæ plerumque veritati conjunctæ non ſint. Quantus eſſem, ſi ad particularia deſcendendo ponderare ſubiret, in quo, & a quibus fuerit hac in re peccatum. Ne verò aut invidiam Scriptoribus, aut legenti faſtidium creem, ab his temperabo, ratus operi ſufficiens pretium futurum, ſi accuratiſſimorum Cenſorum teſtimonia quædam proferantur; unde innoteſcat his ſuſpicionibus, & fallaciis non vacare Eccleſiaſticos Scriptores. Canarienſis Epiſcopus Melchior Cano l. XI. de locis Theologicis: *Eccleſiæ Chriſti*, ait, *hi vehementer incommodant, qui res Divorum præclarè geſtas non ſe putant egregiè expoſituros, niſi eas fictis, & revelationibus, & Miraculis adornarint. Qua in re nec Chriſto Domino hominum impudentia pepercit; quin quod in aliis Divis factitavit, idem quoque in Chriſti, & Matris hiſtoria ſcribenda faceret, & pro humani ingenii levitate multa vana, & ridicula comminiſceretur*. Et paullò ante: *Quidam affectui ſuo nimis indulgent, & ea ſcribunt, quæn aimus ſcribentis dictat, non veritas; tales*

tales Divos quandoque nobis exhibent, quales Divi ipsi, & si possent, esse tamen noluissent. Mabillonius tom. I. de Studiis Monasticis cap. 8. *Non multùm insistendum innumeris propemodum narratiunculis, quas plerique Recentiorum congerunt in descriptione vitæ quorumdam Sanctorum*. Non secus expostulant Bellarminus, Fleury, Tillemontius, Bailletus, & alii Neoterici, qui, ubi per otium liceat, consulendi sunt.

Hactenus exposito error alter affinis est, admodum in in cœlestium civium historiis cavendus. Putant aliqui falsum subesse non posse alicui facto, immo neque de illo fas suspicari; quòd ab aliquibus Scriptoribus referatur. Væ tibiardentibus hominum votis semper, at sæpe frustra expetitæ veritati, ubi nihil suspectum, nihil confictum esset, quòd scriptis commendatum. Scitè more suo nos docet Stagyrita, contra omnem proferentem sermonem non oportere esse sollicitos: mendaces in veritate libranda esse filios hominum sacræ paginæ produnt; eruditque experientia ipsa sæpe scientes, sæpius nolentes hominibus imponere homines. Quamobrem etiam si ut plurimùm pii fuerint sanctorum vitæ Scriptores, homines tamen; & proinde non sine delectu, quasi ab omni falsitatis suspicione aliena ipsorum dicta excipienda. Nimia credulitas; & præpostera religio in caussa fuerant Scriptoribus multis, ut dubia, & falsa pro veris posteritati commendarent. Religione tacti quamplures Ascetæ, ac Cœnobitæ, ut miracula vulgarunt, quidquid aliquam hujusmodi speciem præseferebat, ne injurii cœlo forent, & hominibus, illi accepta non referendo, quæ poterant referri; his divina, quæ suspicerent, prodigia occultando. Nimia credulitate falsa veris immiscuisse notantur multi, quos inter, ut ut eidem Religiosæ familiæ nomen dederint, Vincentio Bellovacensi, atque Antonino non pepercit Melchior Canus l. XI. de Locis Theol. c. 6. *De Vincentio Bellovacensi, & Divo Antonino liberiùs judicio, quorum uterque non tam dedit operam, ut res veras, certasque describeret, quam ne nihil omnino præteriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur*. Ut igitur alicujus, vel sacri historici narrationi autoritatem adiungamus, & fidem, severiores Critici animadversiones tradunt, & le-

ges quasdam, quæ omnes ubi in unum conveniant, vix assensum relatis subtrahere licebit. Præcipuæ sunto: *Si prudentiam ingenii severitati adjunxerit Scriptor. Si monumenta illum latuerint nulla, quibus ad scribendum usus. Si nulli parti præ verò appareat addictus. Si de illis meminerit, quorum vel occulatus, vel ex auditu fuerit testis.* Quod quidem postremum ejus apud eruditos momenti habetur, ut hoc potissimum instructi Fleury, Tillemontius, Launojus, Mabillonius, Dupinus, Bailletus ad criticas suas elucubrandas accesserint. *Investigandum est*, ecce tibi aureum Mabillonii in tract. de Studiis Monasticis tom. 1. c. 8. monitum, *num Autor Synchronus sit, num Autographus, an Amanuensis .... Enim verò si cetera sint paria, pluris facienda est coævi hominis opinio, quam alterius recentioris.* Idem tanquam præcipuum rei hujus fundamentum jecerat Baronius apertè docens, flocci habendum, quod a recenti Scriptore de rebus vetustis sine alicujus antiquioris autoritate profertur: unde laudatus Congregationis Maurinæ scriptor Mabillonius eodem loco hæc præscribit: *Si nec ejusmodi Scriptores, nec qui unius, aut duplicis sæculi intervallo successere, gestum aliquod innuant, & nihilo secius Historiographus aliquis recentior nullo testimonio, vel autoritate innixus, id temerè asseverasse audet, tunc quidem parvi pendendum erit; secus enim ampla ad errandum, aliosque fallendum via sterneretur.*

Sed, & ab altero excessu hac in re declinandum. Putant aliqui eximium peregrini ingeni specimen se daturos; si facto cuilibet intenderint litem, aut etiam apertæ falsitatis illud traduxerint ideò, quia ipsius veritas vel uni Scriptori fictitia sit, aut suspecta. Verùm ut summæ impudentiæ est facta quælibet cuivis autori probata admittere; ita temeritatis ea omnia improbare, quæ aliquem habeant impugnatorem. Quid maximè verum invenias, cui bellum Scriptor aliquis non denuntiarit? Non inficias tamen iverim aliquando paucis, aliquando etiam uni audiendum Scriptori, qui reliquorum agmini, factum aliquod adstruentium refragetur, ubi eas pro se attulerit conjecturas, & momenta; ubi affirmantium argumentis ita fecerit satis, ut conficta meritò

ritò statuatur narratio. *Inter relationum varietates cavendum est*, Mabillonii accipe documenta, *ne ab uberiori dumtaxat Auctorum copia alliciamur, sed potius ab ipsorum merito, & gravitate; multoties enim fit, ut gravis, periti, atque sinceri Scriptoris auctoritas, centum aliorum minoris fidei testimonio sit praeferenda, qui nimirum absque matura discussione, ac diligenti rerum examine, sibi succedentes subscripsere*. Et sane peregrinum utinam inter Scriptores foret cœcorum instar ab aliis trahi! Quot occurrunt, qui obvia quæque vel vera sint, vel conficta, nulla habita animadversione, adoptant ideo solùm, quòd typis inveniant commendata. Miserescit severum Criticum Melchiorem Canum sacerdotis ævi sui levitatis, *cui persuasissimum esset, nihil omnino esse falsum, quod semel typis fuisset excussum*. Nobisque Ecclesiasticas, ne de prophanis loquar, historias percurrentibus non unum se se talis levitatis exhibet exemplum in hominibus, qui fama etiam non planè destituti relationes suas vulgarunt. Testimonium dicet in primis vulgata de Joanna Papissa fabella. Primi nefarii hujus commenti assertores aliis audiunt Marianus Scotus, & Sigebertus Gemblacensis monasterii alumnus; aliis Martinus Polonus è Dominicana familia Scriptor. At verò a Mariani, & Sigeberti M.S.S. Codicibus procul abesse narrationem istam testantur post accurratam inquisitionem Aubertus Miræus, Leo Allatius; & Heterodoxus licet, David Blondellus, eamdemque desiderari in Martino Polono disertè affirmat præter alios Andreas Victorellus in Additionibus ad Ciacconium. *De Joanne P. Fœmina figmento* hæc scribens: *Vetusta M.S.S. Martini Poloni exemplaria, & incorrupta ex iis cussa, nullum verbum de Joan. Fœmina*. Quicumque porrò fuerit tanti figmenti primus inventor; illud certum sæculo XV. fabulam istam adeò pro vera obtrusam per Catholicos Scriptores ideo, quia lecta solùm exscribendi, non an vera simul investigandi, abusus obtinuisset, ut sexaginta,& ultra non infimæ notæ autores ab ea facilè numerentur, usque ad ultima nostra tempora, cum viri doctissimi Baronius, Bellarminus, Sanderus, Panuinius, Echard, Leo Allatius, aliique adversus oblatrantium Hæreticorum objurgationes ma-

le confutam fabellam exsufflare aggressi sunt, atque hoc ita feliciter, ut ad falsitatem aperiendam nihil ultra desiderari reliquum fecerint. Ejusdem Scriptorum evitandæ credulitatis argumentum aliud rei nostræ congruentius exhibeant Ursulæ, atque Cyriaci cujusdam Pontificis narratio. Jactatum de Cyriaco Pontifice cum Ursula, & undecim mille Virginibus iter, atque Martyrium in vulgus obrepsit ex revelatione S. Elisabeth primæ Monasterii Schonensis Abbatissæ. Huic a sæculò XII. eam fidem adjunxerunt Scriptores plurimi, ut pro certa scriptis commendarint, nulla habita investigatione, Ursulæ, atque tot sociarum clade, nec non Cyriaci ante Pontificatum Antheri dignitate. Quanta porrò Martyrii istius, atque Pontificii culminis in Cyriaco falsitate laborent Acta, facilè præfati Scriptores deprehendissent, si argumento tam infirmo haud freti, de veritate inquirenda magis fuissent solliciti, uti recentiores nostri Critici, quibus incredibilia, & fabulosa adeò hæc visa sunt post accuratum rei examen, ut Cyriacum hunc a Pontificum Catalogo planè explodendum evicerint, & tantum sociarum agmen ita a verò exorbitare demonstrarint, ut non immerito a Sirmondo, & Valesio contendatur non nisi unam Ursulæ martyrii fuisse comitem, quæ nomine *Undecimilla* errandi ansam præbuit Ecclesiasticis Scriptoribus, atque Martyrologiorum Amanuensibus, unde divisis vocibus indicarent, quod una erat comprehendendum. Interim verò animadvertendum est aliquando argumenta etiam gravia a severo Historico producta non esse fidei prorsus adimendæ ab aliquo facto, quod longæva fulciatur traditione; sed acquisito diuturnitate temporis jure deturbari solum posse per ea momenta, quæ illius falsitatem planè demonstrent.

Quod est ad Scriptorum de aliquo facto, aut miracu'o silentium: juvat in primis monere depromptum ex hac taciturnitate argumentum negativum appellari; & perfectum aliud, aliud, ut ita dicam, imperfectum esse. Perfectum negativum argumentum dico, quod ex omnium autorum, qui vel eadem ætate, vel proxima illi, cum factum contigit, scripserunt. Quanti ad explodenda facta multa pro veris habita

ta

ta sit momenti argumentum istud, & quantum expediat non modo eludendis ab impostorum audacia obtrusis commentis, verum etiam suppositis autorum operibus dignoscendis, docent Sancti Patres sæpe sæpius hac probatione usi, & Eusebius l. 3. Hist. Eccl., ubi pluribus in capitibus reiicit multorum scripta adoptare pro germanis, *quia apud veteres nullà omnino fit mentio*: docent & recentiores, quos inter Launoius integram pro tali argumento Dissertationem elucubravit. Verum licet rectus istius argumenti usus ad retegendas fabulas, spuriosque autorum fœtus plurimum conducat, ubi nulla exceptione illud possit eludi; sæpe numero tamen infirmum est, & rei, ad quam instituitur, evincendæ ineptum: vacillat enim etiam argumenti perfectè negantis vis; cum ad unum quidem omnes alicujus ævi Scriptores summo præterierunt silentio factum aliquod, sed ideò, quòd vel præfixæ sibi metæ non collimabat narratio; vel quòd eorum solertia illud præterierit; vel quòd non adeò memorabilis habetur res, ut digna censeatur, quæ posteris debuerit commendari; aliquando etiam si discrimen sibi metuisse potuerint Scriptores rem aliquam vulgando, aut consuetudo, sive lex de aliquibus verba facere illos prohibuerit. Ex ultimo hoc capite convincuntur præter jus & fas Catholicis insultare Hæreticos objiciendo veterum Patrum de Ecclesiæ Sacramentis silentium. Quem enim fugiat negatum ab Ecclesia Scriptoribus primorum sæculorum enucleatam circa Sacramentorum ritus, atque mysteria scriptis commendare doctrinam; idque ne Gentibus irrisionis exhiberetur materies, aut apud impios sanctissimæ istæ actiones contemptum subirent. Apertum est Tertulliani hac de lege testimonium l. 1. *contra Gentes* c. 7. acriter a suspicione occultorum criminum Christianos more suo vindicans: *A quibus potuisset talis fama in totum orbem dari? ab ipsis enim Christianis non opinor, cum vel ex forma, ac lege omnium Mysteriorum silentii fides debeatur: quantò magis talium, quæ prodita non evitarent supplicium? Si ergo non ipsi proditores sui; sequitur ut extranei. Oro vox extranei, unde notitia? cum etiam justa, & licita Mysteria omnem extraneum caveant*. Alia impositi hac de re silentii priscis momenta affert Schelstrate in li-

libro *de Disciplina Arcani*, quem consule, si per otium licet. Contingit etiam non raro labi Criticos in argumenti istius praxi alia de caussa, quam innuit Mabillonius l. de Studiis Monasticis p. 2. c. 13., quæque si præ oculis habeatur, prudens quisque huic uno argumento vix rem sibi conficiendam opinabitur. *Ne in praxi argumenti merè negativi fallamur*, en Mabillonii documentum, *necessum est nedum singulos evoluisse Scriptores, ex quorum silentio tale argumentum eruitur, sed insuper nullatenus ambigere, num aliqui nobis desint, qui fuerint ipsis contemporanei: contingere namque potest, quod Autor, cujus scripta ad nos usque minimè devenerint, rei alicujus mentionem fecerit, quæ tamen a cæteris fuerit prætermissa.* Et sanè, qui è Bibliothecarum latebris in dies novi Codices per eruditos viros Litterariæ Reipublicæ donantur, argumento sunt, quam prudenter hujusmodi regulam constituerit tantus Scriptor. Quod si adeò cauta sit oportet argumenti perfectè negantis praxis; eaque tam raro intentum evincit: profecto videt quisquis nullius futurum roboris argumentum imperfectè solùm negativum, quamvis illud crebrò Viris Cl. Launojo, Dupino, Bailleto usurpetur. Argumentum imperfectè negans illud voco, quod ex aliquorum de re aliqua silentio depromitur, ubi tamen auctores alii Synchroni, quique exactam habere de facto potuerunt notitiam, de illo in scriptis suis testentur. Probata communi Criticorum calculo regula est: *argumentum negativum in Quæstionibus facti nullius omnino esse roboris, ubi contra suppetunt positiva ex coævis Autoribus argumenta.* Et quidem, quæ, ratio esse potest, cur gravibus scriptoribus fidem detrahamus de aliquo facto memorantibus, ideo quia de ipso alii non memorarint. Anne omnes, ut omnia dicerent, susceperunt. Anne etiam si aliqui se se assertionibus aliorum infestos exhiberent, continuò esset explodenda assertio? Quis hoc autumabit? Quanto igitur magis non rejicienda, ideo solum, quòd silentio fuerit ab aliquibus involuta; Quamobrem immeritò recentiori cuidam ex Theophanis silentio purum putumque mentis figmentum olet Heraclii Imperatoris religio, qui *Jerosolymam rediens, solemni celebritate suis humeris retulit in eum*

mon-

montem, quò eam Salvator tulerat Dominicam crucem, uti Breviarii Lectiones habent; de Religioso siquidem hoc facto Scriptores alii plurimi fuerunt testati, atque in ejusdem recolenda memoria convenit ad diem decimam quartam Septembris cùm Latina Ecclesia, tum etiam Græca. Quamvis, ut verum fatear, solemnius exinde tantùm istud festum contigit celebrari, vetustior enim Heraclio est institutio, cum de illa mentio habeatur in libro Sacramentorum Sancti Gregorii M. & facilè ab aliis ipsius origo feratur accepta, quòd Constantino adversus Mazentium pugnanti se dederit videndam. Pariter toto Catholico orbe solemnis est constituta divinitus roganti Francisco ad plenam culparum assequendam remissionem dies prima Augusti iis, qui adiissent templum Portiunculæ dictum, sive S. Mariæ Angelorum, quod Bonaventura locum appellat, ubi *Fratrum Minorum Ordo a S. Francisco per divinæ revelationis instinctum fuit inchoatus*. Commemorant Scriptores multi antiquissimi hujusmodi visionem, & coævus etiam nuperrime l. 4. Miscellan. a Baluzio vulgatus, ac Wadingus ad annum 1226. N. 33. loquens de Ecclesia S. M. Angelorum, pro certa supponit: *Ibidem etiam impetrata indulgentia illa magna*. Quare celeberrimæ hujus visionis veritati elevandæ satis esse nequit Bonaventuræ silentium, ex quo fabellam visionem illam judicavit D. *de Sainte Beuve*, consutam ad solemnius vulgandum S. Mariæ Angelorum festum. Perperam æquè Summam D. Thomæ abjudicare tentavit Joannes Launojus ex eo, quòd hanc inter Angelici opera haud connumerarit Clem. VI. P. M in Sermone de Angelico Præceptore tum habito, cum cœlitum catalogo Sanctum Doctorem adscripsit; suppares enim Angelico Scriptores, & Clemente Pontifice admodum vetustiores tradunt genuinum tanti Doctoris fœtum esse admirabilem hanc Summam, ubi quintam omnium Angelici laborum essentiam haberi expressam, meritò scribit Possevinus. Hæc pro aliis multis ad infirmum negantis argumenti præsidium, & fulcimentum demonstrandum, quemadmodum, & pro aliis multis, quæ ad secernenda germana Sanctorum Acta, miracula, seu scripta a confictis in promptu esset proferre.

Cæ-

Cæterum reliquum est, ut Lectores moneamus nullibi faciliùs erroribus viam patere; nullibi utiliùs labores exerceri, quam in Critices usu, potissimum si circa res sacras censura paretur. Quamobrem si ingenio, si mentis acumine, si multa animi maturitate instructum se quis deprehendat, ad hujus exercitium, cautè tamen adhuc, festinet; si contra, ab illa temperet, nec patritium jus hac in scientia habere præsumat; secus, quam in alios exercebit, ipse pejorem ab aliis feret censuram.

FINIS.

IN-

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

C

ral

no

Hy-

N

No-

Sa-

T

Xe.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la fede di Revisione, ed Approbazione del P. *F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore* nel Libro intitolato: *De Divino Officio Commentarius Historico-Theologicus, ubi ex Sacris Litteris, &c. Autore D. Francisco Macchietta* non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo licenza a *Francesco Pitteri Stampatore*, che poſſa eſſer ſtampato, oſſervando gl'Ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. 3. Gennaro 1738.

(*Gio: Franc. Morosini Cav. Rif.*
(*Gio: Pietro Pasqual. Rif.*
(

Agoſtino Gadaldini Segr.

1738. 28. *Gennaro.*
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccellentiſs. della Beſtemmia.

Vettor Gradenigo Segret.